N12<524054839 021
ubTÜBINGEN

A.GRIESSHABER
Buchbinderei
÷TÜBINGEN÷
Telf.529

Le „Liber Mortuorum“ de l'abbaye de Dilighem

Necrologium abbatiae Diligemensis

édité par Jacques Lavalleye
Docteur en histoire, Archiviste
aux Archives Générales du
Royaume à Bruxelles.

Analecta Praemonstratensia
Tomus secundus, anno 1926.

[Beiheft 4.]

Tongerloo
Imprimerie de l'abbaye

UNIV BIBL
TÜBINGEN

Gk 5334

INTRODUCTION

Parmi les richesses, que renferme le fonds des *Archives ecclésiastiques* aux Archives Générales du Royaume, se trouve le registre 6963, intitulé : NECROLOGIUM ABBATIAE DILIGEMENSIS. C'est un petit in-folio, sur papier, de 86 feuillets dont 82 recouverts d'une écriture soignée de la fin du XVIII[e] siècle ; la reliure est moderne.

L'obituaire est composé de la notice biographique des cinquante et un prélats, qui se succédèrent à la direction du monastère et d'un grand nombre de chanoines, qui se signalèrent particulièrement par leur piété exemplaire, leur zèle pastoral, leur savoir, leurs écrits ou les services rendus à la communauté. Le pieux auteur du nécrologe a voulu élargir le cadre de son travail en rappelant, à certaines dates importantes pour l'histoire de l'abbaye, les faits intéressant le passé de celle-ci. C'est ainsi qu'il esquisse les origines de Dilighem. Ne s'arrêtant pas à la légende, qui accordait à saint Amand l'honneur d'avoir fondé une communauté de clercs réguliers à Jette, il explique, en se basant sur le texte des chartes qu'il édite, l'installation, en 1095, de chanoines réguliers de l'Ordre de saint Augustin, grâce aux largesses d'Onulphe de Wolverthem ; il renseigne qu'en 1140, par suite de l'influence des chanoines prémontrés de Tronchiennes, la discipline norbertine fut adoptée à Dilighem. La dévastation du monastère par les bandes armées du XVI[e] siècle sont rappelées avec des précisions sur les pertes subies, l'exil de la communauté et l'accueil fraternel que firent les chanoines d'Averbode à certains de leurs confrères, réfugiés dans l'antique abbaye campinoise. Des détails sur l'invasion des révolutionnaires français sont notés. Le nécrologe de Dilighem peut donc être appelé également, jusqu'à un certain point, la chronique de ce monastère norbertin.

Quel est l'auteur de cette compilation ? Nous n'avons retrouvé aucune trace dans le texte qui nous révélât son nom ou nous mît sur une piste. Le chanoine G o o v a e r t s dit à ce propos : " Je me demande si le 51[e] et dernier prélat de Dilighem, André de Maeght,

né à Bruxelles, le 8 décembre 1745, n'est pas l'auteur de ce manuscrit [1] ". Rien ne nous permet de confirmer ou d'infirmer cette hypothèse ; la seule conclusion certaine qui résulte de l'étude du manuscrit, c'est qu'il est l'œuvre d'un membre de la communauté de Jette. L'examen de l'écriture prouve qu'un même auteur composa les notices bibliographiques jusqu'en 1787 ; de 1790 à 1802, le texte est d'une autre écriture.

Pour établir son travail, l'auteur s'est inspiré de la note que rédigea le chanoine Ambroise Leeuwet († 1666) pour Sanderus qui consacra quelques pages à l'histoire de Dilighem dans sa *Chorographia sacra Brabantiae* [2] ; en certains points, il y a démarquage complet, surtout pour les détails concernant les premiers abbés, ce qui se comprend aisément : les archives de Dilighem présentaient de graves lacunes à la fin du XVIII[e] siècle [3], surtout celles qui se rapportaient aux origines et aux premières années de l'abbaye ; l'auteur copia donc les premiers paragraphes de Sanderus, ne se souciant que fort peu du respect de la propriété littéraire, principe inexistant à cette époque.

Le texte que nous éditons pourra rendre des services, malgré ses rappels de l'œuvre de Sanderus : il s'agit en effet d'un travail historique embrassant toute l'histoire de l'abbaye de Dilighem. Les quelques archives de ce monastère conservées aux Archives Générales du Royaume et dans l'une ou l'autre abbaye norbertine ne suffisent pas pour élaborer un travail sur le passé du couvent de Jette. En particulier, pour le XVIII[e] siècle, le nécrologe est une source très importante, Sanderus ni la *Gallia Christiana* ne donnant aucun renseignement pour cette époque.

Le R. P. De Meulemeester a eu connaissance de cette source littéraire lorsqu'il publia ses *Notes d'histoire jettoise* [4] ; le chanoine Goovaerts en a extrait l'une ou l'autre notice pour son dictionnaire.

Nous avons annoté certains passages du nécrologe en puisant les éléments de nos remarques dans les divers fonds reposant aux Archives Générales du Royaume : *Archives ecclésiastiques, Papiers*

(1) *Ecrivains, artistes et savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, p. 502. Bruxelles, 1899 et svv.

(2) T. I, p. 387-407. La Haye, 1726.

(3) Wauters, *Histoire des environs de Bruxelles*, t. II, p. 15 Bruxelles, 1855.

(4) Jette, 1914.

d'Etat et de l'Audience (enquêtes ecclésiastiques), Conseil d'Etat, Conseil privé, Conseil du Gouvernement général, Chancellerie de Brabant, Etats de Brabant.

Bruxelles.

J. LAVALLEYE
Archiviste aux Archives Générales
du Royaume.

LISTE DES ABREVATIONS ET DES SIGLES

A. G. R. = *Archives Générales du Royaume, à Bruxelles.*
arr. = *Arrondissement.*
c. = *canton.*
Chanc. Brab. = *Chancellerie de Brabant* (fonds d'archives aux A. G. R.).
dép. = *Département.*
dép. = *Dépendance.*
dioc. = *Diocèse.*
Enq. eccl. = *Enquêtes ecclésiastiques* (ensemble de registres appartenant aux " Papiers d'Etat et d' Audience ", aux A. G. R.).
prov. = *Province.*

NECROLOGIUM ABBATIAE DILIGEMENSIS

[Fol. 1] Abbatia Diligemensis, monasterium S[i] Petri in Jette (1) olim nuncupatum, situm est primo fere lapide ab urbe Bruxellarum *(sic)*, primaria Belgii principum sede, loco sane peramœno in quo universae ruris habentur deliciae, colliculae nempe ac valles, prata roscida ac arva fertilia, silvae et nemora, fontes et stagna piscaria, campi quoque patentes ac venationi accommodi, etc. et aere perquam salubri.

Primordia ejus referuntur ad annum 1095, quando Galtherus, cameracensis episcopus, cellam, sitam in villa de Jetta, consecravit 18 kal. Octobris in honorem beatissimae Virginis Deiparae ejusque paranymphi Divi Joannis Evangelistae ; additque idem praesul, in suo diplomate desuper confecto, se cellam istam consecrasse ad usus fratrum in hoc loco Deo famulantium et beati Augustini regulam observantium. Quorum sustentationi Onulphus, dominus de Wolverthem (2), miles seu eques illustris, ex Brabantiae ducum gentilitio stemmate oriundus, bona quaedam attulit et altari adaptavit, confirmante eamdem donationem praefato pontifice Galthero ; sic ut idem Onulphus primarius hujus ecclesiae habeatur et haberi debeat fundator. En diploma (3) :

" In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego, Galcherus, gratia Dei cameracensis episcopus, cellam, quae sita est in villa quae Jetta nuncupatur, ad laudem Salvatoris nostri Jesu Christi, in honorem sanctae Mariae Virginis, octava decima kalendas octobris, Deo annuente, dedicavi ; atriumque divisum benedixi, et ab hujus villae parochia altare, quidem favente persona ex nomine Sichero sepa-

(1) Jette-Saint-Pierre, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Molenbeek-Saint-Jean.

(2) Commune dans l'arr. de Bruxelles, chef-lieu de c.

(3) Cette charte a été éditée plusieurs fois, cf. Wauters, *Table chronologique des chartes et diplômes concernant l'histoire de Belgique*, t. I, p. 593. Bruxelles, 1866.

ravi, et ut ad nullum cujuscumque hereditatis, praeter sedem cameracensis ecclesiae, respiceret, liberum confirmavi.

" Ad usus autem fratrum, in hoc loco Deo famulantium, beatique Augustini regulam observantium exonigerando, Honulphus de Vulvrethem, homo liber ac timens Deum, duodecim allodii sui jugera omnino libera transtulit, decimamque de Melbroeck (4) Deo suaeque Genitrici pro redemptione animae suae, animarumque matris suae Annae, conjugisque suae Renewidis, ac filiorum suorum Lamberti et Wiacis, omnino liberam tradidit, et dimidiam partem illius decimae, quam habebat in Vulvrethem, similiter dedit.

[Fol. 2] " Hic autem praedictus Honulphus, cum nostrae dedicationis officio praesens esse non potuit, quemdam servum suum ad me misit, qui supra Sancta Sanctorum juravit, se fratribus ecclesiae, quae praedicta sunt, dedisse. Praesentesque fuerunt quamplures liberi homines, qui testati sunt se donum vidisse et audisse ; praesensque fuit quidam liber homo, nomine Steypo, qui ex parte illius domini hujus beneficium renovavit, et altari in mea praesentia legitime adaptavit.

" Ego vero ne quilibet mandatorum Deo transgressor hoc statutum violare praesumet, neque solemnitatem dedicationis infringeret, pontificali banno interdixi ; omnino etiam corroborans, remota omnium laicorum potestate, fratrum esse, abbatem libere eligere, et cameracensium pontificis pastoralem curam attribuere et benedictionem exhibere.

" Ad quod testes introducti idonei sunt. Signum Radulphi, archidiaconi ; Alardi, archidiaconi ; Bernardi, archidiaconi ; Alberici, praepositi ; Fulgentii, abbatis (5) ; Albaldi, capellani ; Godefridi, clerici ; Ancelli ; Gerardi ; Godefridi.

" Signa clericorum Bruxellae : Tudonis, decani ; Alberti, scholastici ; Langenradi ; Henrici.

" Signa laicorum : Steyponis, Galteri fratris ejus, Alardi, Godesonis, Amelardi, Ingrani, Mazelini, Franconis filii ejus, Franconis, Menzonis.

" Hoc autem est factum anno dominicae incarnationis MXCV, indictione 3, praedicti quidem pontificatus anno primo ".

Fundatorem parentem secutus est Waltherus, filius primogenitus, qui filiam toparchae de Sotteghien (6) sibi connubio junxit, quae

(4) Melsbroeck, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Vilvorde.
(5) Fulgence, abbé du monastère bénédictin d'Afflighem.
(6) Sotteghem, commune dans l'arr. d'Alost, chef-lieu de c.

marito dominium de Sotteghien in dotem attulit ; aliique ex eadem parentela, qui ad centenos subsequentes annos innata quadam liberalitate in eamdem ecclesiam fuere benefici.

Ex Galtheri, cameracensis episcopi, diplomate supra allato, patet ecclesiam hanc primitus fundatam fuisse pro clericis sancti Augustini, non vero pro monachis sancti Benedicti, ut scribit vir illustris Aubertus M i r a e u s in chronico suo praemonstratensi, citans monumenta cœnobii affligemiensis (7), a se aliquando visa : nisi quis dicere velit ante hos clericos sancti Augustini Benedictinos ibidem resedisse monachos, quod sane majorem hujus loci antiquitatem argueret ; cujus rei si quis ex affligemiensibus acetis certum praebere possit argumentum, ne ille de Diligemio quam optime mereatur. At quod amicissimis ad Ambrosium litteris scribit venerabilis Odo cambierius, vir insigni eruditione ac virtute presbyter affligemiensis, ex ejusdem archivis cœnobii, et in iis sic haberi : " Tilde[fol. 3]-ghem (8) quondam abbatia erat ordinis praemonstratensis, et data fuit monasterio affligemiensi a Nicolao, cameracensi episcopo, propter ejus vastationem et destructionem ", etc., sine nota temporis, in Diligemium minime quadrat, licet affinitas nominis Tildeghem aliquem det conjecturae locum. Hoc enim certum a tempore, quo Diligemium praemonstratenses introducti sunt ; hactenus illic stabiliter permansisse absque interpolatione alicujus alterius ordinis ; quod si in verbis, ab Odone hic supra relatis, suam Aubertus Miraeus fundaverit intentionem, numquam fundavit ille supra petram ; exquirendum igitur foret, num forte alicubi altera extiterit abbatia Tildeghem dicta, quae vel omnino perierit (uti pluribus contigit) ejus bonis Affligemio transcriptis, vel in coloniam benedictinam transierit nomine etiam cum habitu mutato.

Primum Diligemii clericos fuisse sive canonicos regulares sancti Augustini, nec ferte alios monachos regulam ejusdem doctoris profitentes ; patet ex eodem praefato diplomate, quo idem Galtherus corroborat, remota omni laicorum potestate, fratrum esse abbatem eligere, etc. Id ipsum etiam declarat sequens diploma Odonis, Galtheri successoris, de anno 1112 ; in illo enim, quo die cellam sitam in villa Jetta, vero similiter prima illa ampliorem, atriumque benedixit, refert se propriis manibus Gathelmum consecrasse abbatem fratrum in hoc loco Deo famulantium, beatique Augustini regulam observatium. Vix igitur credendum id aevi alios quam clericos re-

(7) Abbaye de Bénédictins, sise à Hekelghem, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Assche.

(8) Lieudit à Jette-Saint-Pierre.

gulares abbatiales ecclesias sub regula beati Augustini insedisse ; quo autem anno Walthelmus, ante quem nullus alius abbas reperitur, ab Odone episcopo fuerit benedictus, non liquet ; verum apparet id accidisse sub annum 1106 ex litteris authenticis ejusdem Odonis, hic infra allatis, quibus confirmat donationes quorumdam bonorum factas ecclesiae jettensi per Everardum Rodulphum tornacensem, et in quibus hic praesul Walthelmum bis vocat abbatem, dicens annum 1106, sui pontificatus esse primum. Et cum in diplomate suo (hic subsequente) annum 1112 dicat esse sui pontificatus septimum, puta inchoatum, benedixisse ergo Walthelmum debuit circa primum regiminis sui episcopalis annum, idest circa initium anni 1106. En ejusdem Odonis littera et diploma (9) :

" In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Odo, Dei gratia cameracensium episcopus, pacem et salutem cunctis Christi fidelibus.

" Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris quam praesentibus, quod in diebus nostris instinctu et hortatu nostro atque Walthelmi abbatis, Everardus Rodulphus tornacensis, ob uxoris suae Helwidis animae memoriam, concessione et traditione Galteri, filii sui, decem et octo terrae bonarios cum domistationibus ad ipsos pertinentibus, et cum prato trium partium jugeri, liberos ab omni advo[fol. 4]catia, ecclesiae jettensi et Walthelmo abbati atque successoribus ejus tradidit, absque alicujus contradictione.

" Quidquid autem juris habebant in hoc beneficio Waltherus, sacerdos, et Goda, vidua quaedam religiosa supradicta, Everardo Rodulpho coram hominibus suis, antea tradiderant et exfestucaverant.

" Quicumque aliquid horum infringere praesumpserit, maledictioni atque execrationi subjaceat. Pax igitur et benedictio conservaturos contegat ; dissipatores vero ultro aeterni ignis cum diabolo feriat. Et ut hoc ratum et inconvulsum permaneat, paginam hanc subnotato testimonio sigilli nostri auctoritate armamus.

" Actum Cameraci, anno MCVI, praesulatus nostri anno primo ".

(1) " In nomine sanctae et inviduae Trinitatis. Ego, Odo, Dei gratia cameracensis episcopus, cellam quae sita est in villa, quae Jetta nuncupatur, ad laudem Domini nostri Jesu Christi in honorem sanctae Mariae Virginis, octavo kal. octobris, Deo annuente,

(9) Cette charte a été éditée plusieurs fois, cf. Wauters, *o. c.*, t. II, p. 29. Bruxelles, 1868.

(1) Cette charte a été éditée plusieurs fois, cf. Wauters, *o. c.*, t. III, p. 61.

dedicavi ; atriumque assignatum benedixi, et ut ad nullum cujuscumque hereditatis, praeter sedem cameracensis ecclesiae respiceret, liberam confirmavi. Et si pro alicujus culpa inbannitur terra, remotis omnibus inbannitis, haec cantet Ecclesia.

" Et quia nos omnium domesticorum in exaltatione sanctae Ecclesiae promtissimorum bonae voluntati congaudere debemus, decet nos etiam, si quid a nobus petierint, non abnuere, ut semper ad vitam proficiant, nostro exemplo praeeunte.

" Ego itaque petitionem Galtelmi, abbatis filii mei, quem propriis manibus consecravi, non reprobandum existimavi, quaerentis ut parochialem ecclesiam jettensem, cum appendicio suo Ganshorem (2) et Mosengensem (3) ecclesiam atque Humbecensem (4) libertate donarem.

" Quam petitionem bonam judicans, ideoque paterne exaudiens praedictas ecclesias ab omni exactione debitisque obsoniis liberas facio, et in ecclesia sanctae Mariae jettensi fratribus trado.

" Ipse quoque abbas ad synodum ire non cogatur, nisi sigillatis episcopi litteris fuerit ammonitus.

" Ad usus autem fratrum in hoc loco Deo famulantium, beatique Augustini regulam observantium, Onulphus de Wolverthem, homo liber ac timens Deum, fundator ecclesiae ob redemptionem animae suae, animarumque matris suae Avae, conjugisque suae Remudis, parentumque ac filiorum suorum Wilhelmi, Waltheri, Lamberti, Sigeri, Godescalci, Eustacii, Arnoldi, nobilisque filiae suae Ave, [fol. 5] 14 allodii sui bonarios, et cambam cum appendiciis suis, quae solvit singulis annis 10 et 6 modios avenae ad mensuram bruxellensem, et allodium molendini in Jeth, et decimam quam habebat in Wolverthem, allodiumque decimae in Melbroeck, Deo suaeque sanctae Genitrici servientibus in supradicta ecclesia tradidit.

" Defuncto filio suo Lamberto, 9 terrae bonarios eidem dedit ecclesiae ; pro anima Wilhelmi, filii sui, 6 terrae bonarios contulit ; pro anima Sigeri dederunt fratres sui et domina Ava soror ipsorum 9 terrae bonarios et decimam totius villae, cum in 9 manipulis dividitur ; duos manipulos et tertiam partem alneti superaddiderunt.

" Eustacius 6 solidos dedit in Rochem (Rossem, appendix in Wol-

---

(2) Ganshoren, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Molenbeek-Saint-Jean.

(3) Meuseghem, dép. de Wolverthem.

(4) Neder-Over-Heembeek, commune dans l'arr. de Bruxelles. Anciennement Neder-Heembeek et Over-Heembeek étaient distincts.

verthem) (5), domina Ava et frater ejus, allodium 12 bonariorum secus villam quae dicitur Selleca, ecclesiae dederunt.

" Nostrae vero dedicationis officio interfuerunt duo liberi homines, Waltherus et Arnoldus, filii Onulphi cum sorore eorum domina Ava, qui omnes donum praedictorum beneficiorum renovaverunt et altari in mea praesentia legitime attitulari fecerunt.

" Ut autem hoc ratum omni tempore habeatur, atque a nullo praesumptore maligno violetur, quoslibet dissipatores horum beneficiorum a sinu Matris Ecclesiae segregatos publice excommunicavi, nisi emendationem et satisfactionem venerint.

" Actum est hoc anno dominicae incarnationis MCXII, praesulatus nostri anno VII, imperante Henrico V.

" Testes hujus confirmationis sunt hi : Signum Joannis, archidiaconi ; Ancelli, archidiaconi ; Rodulfi, archidiaconi ; Theoderici, archidiaconi ; Everardi, archidiaconi ; Erlebaldi, archidiaconi ; Adae, abbatis ; Reneri, abbatis ; Goffridi, abbatis ; Ernaldi, abbatis, Mastellini, Livini, capellanorum ; Roberti, cantoris ; Gerardi, Herevardi. Ego Gerinbaldus legi et recognovi ".

Erronée (sic) igitur scribit abbas Christophorus B u t k e n s in Trophaeis suis Brabanticis, (tomo I, lib. 4, fol. 113) (6) fundatum fuisse monasterium jettense Godefrido juniore, Brabantiae duce imperante anno 1140 ; et paulo post, anno 1147, Waltmannum priorem ejusdem monasterii amplexum fuisse observantiam Ordinis praemonstratensis, cum ex superioribus hic dictis pateat annis 45 ante anno 1140 hujus loci fundationem factam per dominum Onulphum pro canonicis seu clericis regularibus sancti Augustini ; idque non sub abbate (multo minus priore) Waltmanno, sed Waltelmo seu Galtelmo, prout eum appellat Odo, episcopus cameracensis in [fol. 6°] diplomate suo de anno 1112, dato praesulatus sui anno septimo, imperante Henrico V, Brabantiae duce. Porro ad annum 1147 non Waltmannus aliquis, sed Waltherus sive Gualtherus praefuisse reperitur, prout eum Eugenius III papa in brevi suo (infra allato), dato Catalauni 9 kal. novembris, indigitat. Stat igitur et pro certo habetur ex antiquissimis documentis, primum abbatem Walthelmum ex canonico regulari, et canonicorum regularium sancti Augustini abbate, factum esse abbatem norbertinum, aspiratum procul dubio odore virtutum per Norbertinos longe lateque sese diffundente, ac uti

(5) Rossem dép. de Wolverthem.

(6) *Trophées tant sacrés que profanes du duché de Brabant.* La Haye, 1724.

conjicere licet, exemplo vicini cœnobii Grimbergensis (7), — quod recedentibus canonicis regularibus, ac sustituto monachorum ordine etiam deficiente —, candorem praemonstratensium assumpserat, in quo a plurimis saeculis viguit et adhuc floret insigniter. Sit igitur

I. WALTELMUS

Primus hujus monasterii Jettensis abbas, ab Odone, cameracensi antistite, circa anno 1106 benedictus, secundam vidit ecclesiae suae dedicationem, ab eodem Odone, anno 1112, 18 kal. octobris factam. Hic ex canonico regulari, et canonicorum regularium sancti Augustini, quibus, ut prior, anno 1095 praefuit, vigente ac pervagante norbertini instituti fama, atque exempli bono odore ubique flagrante, iis pie excitatus, et candidae militiae se dare volens, evocatis reformationis ergo e Trunchinio (1) ejusdem ordinis, ut fertur, quatuor canonicis, a quibus praemonstratensis instituti disciplinam plenius edisceret, ejusdem regulam, ritum habitumque cum aliquot e suis amplexus est circa anno 1140. Ast primo ab immutationis habitusque statu, virtutibus onustus, et ipse immutatus ad vitam transiit immortalem, nempe 1141, 4 kal. octobris.

II. THEODORICUS

Hujus cœnobii (1) canonicus post Walthelmum in abbatem jettensem 1141 electus ; anno subsequenti, ecclesiam extruxisse fertur. Vir hic verus Dei cultor, zelator etiam necnon ordinis sui extitit solertissimus, qui non potestate dominante, sed charitate serviente, cum doctrina, tum monitis paternisve exhortationibus corporalique servitio suos Christo lucrifacere sategit. Verum vix tertio expleto sui regiminis anno, in regionem longinquam accipere sibi regnum aeternum abiit die octava julii 1144. Cui successit

[Fol. 7]

III. WALTHERUS

Hujus domus canonicus professus, exin ejusdem abbas in serie tertius anno 1144 electus, qui eo in munere omnigenae virtutis

(7) Abbaye de chanoines prémontrés, sise à Grimberghen, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Wolverthem.

(1) Abbaye de prémontrés, sise à Tronchiennes, commune dans l'arr. et le c. de Gand.

(1) Van Gestel signale que Théodorique vint de l'abbaye de Tronchiennes. *Historia sacra et profana archiepiscopatus Mechliniensis*, t. II, p. 91. La Haye, 1725.

exemplis praeluxit intus et foris. Vir fuit profundae admodum mansuetudinis, continentiae integerrimae, miraeque prudentiae, in laudando Creatore assiduus, atque in pauperes afflictosque pius ac misericors. E vita mortali ereptus die 3 decembris 1149.

Anno 1145, Waltheri hujus regiminis secundo, sanctus Bernardus, abbas claraevallensis (1), demum composuit difficultatem non parvam cœnobium nostrum jettense inter et ejusdem ordinis Ninivense (2) exortam ; ex eo quod, anno 1140, Iwanus, comes alostanus (3), post obitum Walthelmi, primi nostri abbatis, ecclesiam Lidekerckensem (4), cum appendiciis de Lombeke (5) et Streythem (6) (quae hactenus eidem Walthelmo subfuerant) ad usum nīnivensium, auctoritate episcopi cameracensis transtulisset ; de qua etiamnum exstant litterae, ipsius sancti manu exaratae, cum claraevallensis abbatiae appendente sigillo, quas ex monasterii nostri archivio hic proferre et adjungere lubet (7).

" In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego, Bernardus, Dei gratia claraevallensis abbas, omnibus sanctae Ecclesiae filiis perpetuam in Domino Jesu Christo salutem.

" Notum esse volumus tam futuris quam praesentibus, dissentionem inter abbatem ninivensem et jettensem pro ecclesia de Liedekercke tali modo in praesentia nostra coram religiosis personis determinatam. Consensit abbas jettensis suscipere in partem suam altare et ecclesiam de Lewes (8) cum omnibus appartinenciis suis, videlicet in terris, in decimis, censu, aedificiīs, mancipiis utriusque sexus, vel si quae sunt alia ; et sicut Tenera (9) dividit parochiam de Lewes et eam de Liedekercke, praeter decimam unam in parochia de Erenbaldegem (10), pretinentem ad ecclesiam de Lewes, quam abbas jettensis possidebit cum caeteris rebus ejusdem ecclesiae ; abbate ninivense reliqua omnia ad ecclesiam de Liedekercke obtinente. Et ut haec compositio hortatu nostro et consilio facta in

---

(1) Abbaye de l'Ordre de Citeaux, dép. de l'Aube (France).

(2) Abbaye de chanoines prémontrés, sise à Ninove, ville dans l'arr. d'Alost chef-lieu de c.

(3) Alost, chef-lieu d'arr.

(4) Liedekerke, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Assche.

(5) Lombeek-Sainte-Catherine, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Assche.

(6) Strythem, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Lennick-Saint-Quentin.

(7) Cette charte a été éditée plusieurs fois, cf. W a u t e r s, o. c., t. III, p. 267.

(8) Denderleeuw, commune dans l'arr. d'Alost, c. de Ninove.

(9) Dendre, rivière se jetant dans l'Escaut à Termonde.

(10) Erembodeghem, commune dans l'arr. d'Alost, c. d'Herzele.

perpetuum permaneat rata, cartam hanc fieri jussimus, sigillique nostri pressione signavimus, idoneis testibus qui interfuerunt, consentientibus etiam fratribus, et invicem exfestucantibus utriusque ecclesiae, scilicet jettensis et ninivensis.

" Signum domini Petri, abbatis affligensis ecclesiae ; s. Roberti, abbatis de Dunis (11) ; s. Balduini, abbatis de Castellione (12) ; s. Posuini, abbatis de Truncinis ; s. Everardi, M. Gerardi, M. Geraldi, N° Gualfridi ".

[Fol. 8] Praefatus abbas Waltherus suo regiminis tempore quamplurima a Nicolao, cameracensi praesule, obtinuit priviligia ; parochialesque ecclesias : jettensis nempe cum appendice de Ganshoren, Humbecae superioris, Impdem (13) et Meusegemensis, libertate donavit, ut videre licet ex sequenti ejusdem diplomate (14) :

" Nicolaus, divina miseratione cameracensis episcopus tam praesentibus quam futuris in perpetuum.

" Debito charitatis affectu ecclesiae beatae ac perpetuae Virginis Genitricis Mariae de Jeth compatientes, temporalibus beneficiis augmentare studuimus : illa omnia quae praedecessores nostri caeterique fideles pro salute animarum suarum eidem ecclesiae legitimis donationibus contulerunt, petitione et dilectione fratris Walteri ejusdem ecclesiae abbatis, in hoc nostro privilegio renovare et confirmare curavimus.

" Altare videlicet in Jeth cum appendicio suo Ganshoren, altare Heembecae, exceptis obsoniis quae nostri juris sunt, altare Immechiae, altare Mosenchem, quae libera sunt.

" Ad arcendas igitur quorumlibet infestationes, praevaricatores quoad resipuerint, excommunicationis nodo conligamus, et subsignato canonico testimonio sub sigilli nostri appositione hujus nostri decreti paginam confirmamus.

" Signum Theoderici, praepositi et archidiaconi ejusdem loci ; s. Joannis archidiaconi ; s. Alardi, archidiaconi ; s. Evrardi, archidiaconi ; s. Gerardi, decani et archidiaconi ; s. Gualteri, cantoris ; s. Eremboldi, Gualteri, Gerardi, sacerdotum ; s. Bartholomei, Wil-

(11) Abbaye de Cisterciens, sise à Coxyde, commune dans l'arr. et le c. de Furnes.

(12) Abbaye de Châtillon, de l'Ordre de Saint Augustin, diocèse de Langres (France).

(13) Impde, dép. de Wolverthem.

(14) Cette charte a été éditée plusieurs fois, cf. Wauters, o. c., t. III, p. 261.

lelmi, Radulphi, Gualteri, levitarum ; s. Roberti, Eustacii, Geroldi, Adam, sublevitarum.

" Actum anno ab incarnatione Domini MCXLV, indictione 9, praesulatus domini Nicolai 9.

" Ego Gumtimboldus, cancellarius scripsi et recognovi ".

Haec omnia Eugenius III, pontifex maximus, auctoritate apostolica, Cataulanni, anno 1147, stabilivit atque corroboravit, subjungens se praefatam sanctae Mariae jettensem ecclesiam sub beati Petri ac sua protectione suscipere ; ut patet ex ejusdem pontificis brevi sequente ([15]) :

" Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gualtero, abbati ecclesiae sanctae Mariae Jettensis ejusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

" Desiderium quod ad religionis propositum animarumque salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis [fol. 9] congruum impartiri suffragium.

" Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, praefatam sanctae Mariae ecclesiam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia in praesentiarum juste et canonice possidet aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

" In quibus haec propriis duximus exprimenda vocalibus : altare de Jeth cum capella de Ganshorna, altare de Heembeca, altare de Leewa, capella de Mosenghem, capella de Himethea ([16]), cum omnibus pertinentiis eorum ; decimam de Melbrouck, tertiam partem decimae de Vulvrethem ex dono Onulphi et filiorum ejus ; quinquaginta jugera terrae et sex solidos in Rochem, molendinum in Jeth, quod est juxta ecclesiam, ex dono Euwani et sororis ejus ; tria jugera terrae ex dono ducis Godefridi, pratum de Heembeca, plaustrata lignorum de sylva quae Zonis ([17]) dicitur, singulis die-

(15) Cette charte a été éditée plusieurs fois, cf. Wauters, *o. c.*, t. III, p. 278.

(16) Impde.

(17) Forêt de Soignes.

bus ; terram quam dederunt Alardus et Reinerus ; ex dono Godessonis duo jugera terrae ; tria jugera terrae, quae dedit Radulfus.

" Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatam ecclesiam temerare, perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione commissa sunt, usibus omnino profutura, salva Sedis Apostolicae authoritate, diocesanique episcopi canonica justitia.

" Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat.

" Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Christi Domini nostri Jesu Christi, quatenus hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

"Ego Eugenius, catholicae Ecclesiae episcopus, signavi. Ego Albertus, ostiensis episcopus signavi. Ego Odo, diaconus cardinalis sancti Georgii ad velum aureum. Ego Imarus, Tusculanus episcopus. Ego Gregorius, diaconus cardinalis sancti Angeli. Ego Hubaldus, presbyter cardinalis. H. Johannis et Pauli. Ego Gillebertus [fol. 10] indignus sacerdos. Marci signum. Ego Jacintus, diaconus cardinalis sanctae Mariae in Cosmedino.

" Datum Catalauni, per manum Brizonis, sanctae romanae Ecclesiae diaconi cardinalis cancellarii, 9 kal. novembris, indictione 11, incarnationis dominicae anno MCXLVII, pontificatus vero domini Eugenii papae III, anno 3 ".

Caeterum praefectus Nicolaus, cameracensis episcopus, curas pastorales omnes, quas cœnobium diligemense hactenus obtinet, ejusdem canonicis regendas confirmavit, imo prius ipse contulit, praeter unam jettensem parochiam, quam jam ab anno 1111 (forte 1145) Odo, successor Nicolai, ecclesiae diligemensi incorporarat, contuleratque clericis sancti Augustini ibidem tunc residentibus. Caeteras vero ecclesias parochiales idem Nicolaus iisdem tradidit, cum suis appendiciis, anno 1155 ut infra dicetur.

IV. HENRICUS I^{s}

Waltheri in dignitate abbatiali successor et ordine 4^{s}. Erat hic unus e quatuor canonicis Trunchinio a venerabili Walthelmo primo abbate evocatis ad ordinem stabiliendum praemonstratensem. Anno 1151 abbas electus, talem se in munere suo gessit, qualem norbertinum desiderat institutum, moribus religiosis ac modestis praeditus, disciplinae amator ejusque rigidus observator, qui bonis exemplis sibi subditis praeluxit, unitatemque ac concordiam illos inter fovit, ac tempus etiam a muneris sui occupationibus liberum impendit scriptioni historiae Ordinis sui ac monasterii, sed quae temporis lapsu, proh dolor, interiit.

Hic a cameracensi antistite Nicolao, parochiales ecclesias Leeuwensis super Teneram, Wolverthemiensis necnon Heembecae inferioris adeptus est, quas nullatenus exceptis ecclesiis parochialibus antedictis, confirmavit Adrianus IV, papa, qui ecclesiam jettensem sub beati Petri et sua protectione suscepit diplomate suo, dato Beneventi, anno 1155. Inter vivos esse desiit abbas Henricus die 17 maii 1162.

Cui succesit :

V. HILDEBRANDUS

Anno 1162 hujus ecclesiae abbas, ordine 5^{s} electus. Vir fuit pietate et eruditione praeclarus, qui a Bertholdis, dominis de Grimberga, praedia quaedam notabilia obtinuit ; item a curia episcopali cameracensi sententiam defi[fol. 11]nitivam (ob interpellationem super possessione ecclesiae Heembecae inferioris) ne quis abbatem jettensem ausu temerario ex eadem ecclesia Heembecana deturbare praesumat.

Abbate Hildebrando regente, Godefridus III, Brabantiae ac Lotharingiae dux, abbatiam nostram jettensem, circa annum 1185, in suam suscepit protectionem, ut patet ex sequenti diplomate hic adjuncto (1) :

" In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Godefridus, dux Lotharingiae, quia nos qui in saeculo et secundum saeculum vivimus, tanto minus quae Dei sunt cogitare possumus, quanto magis ad saeculi negotia effusi sumus, volumus quibusdam Christi pauperibus, scilicet jettensis ecclesiae fratribus, parumper misericor-

(1) Cette charte a été éditée plusieurs fois, cf. Wauters *o. c.*, t. III, p. 649.

diae impendere, ut quod a nobis in his quae Dei sunt minus agitur, ipsorum orationibus adjuvetur.

" Notam sit ergo omnibus tam praesentibus quam futuris, quod sicut benignitate patris et avi mei ecclesiis abundantioribus, et ob hoc minus indigentibus, vidilicet Haffliginiensi et Parchensi (2) in eleemosinam collatum est, ut si quid erga homines suos de feodo a manu ipsorum descendente acquirere possent allodium simul haberent ; sic nihilominus ob salutem animae meae et praedecessorum meorum in abbatiam jettensem abbati Hildebrando et successoribus suis in perpetuum conferri et inviolabiliter libere et integre, ego et uxor mea Margareta et mater mea Lutgardis concessimus ; ita ut postquam praenominata ecclesia feoda acquisisset, sine tractatione et contraditione, et alicujus pretii exactione a me et post me, a successoribus meis allodium acciperet.

" Praeterea quia pauperibus ecclesiis multa violentia injuste frequenter infertur, et ab omnibus fere rapina magis quam justitia diligitur, praedictam ecclesiam in nostra protectione et tutela suscepimus. Et veraciter et constanter promisimus, et si quis aliquid quod ipsorum est calumpniari et ante judicium vim inferre voluerit, quamdiu abbas et fratres justitiam offerunt, et ad judicium debitum venire volunt, ullam injuriam ecclesiae inferre nullo modo patiamur.

" Specialiter tamen ea quae ab avo et patre meo descenderunt et ad usum fratrum legitime collata sunt, videlicet plaustratum lignorum singulis diebus in Zonia, pratum quoddam in Heembeca, sed et quidquid juris dominus Leonius et filius suus in parochia jettensi in pascuis, in terris et villae totius parte tertia advocatiae habuit, et ab ipso et filio suo Iwanus miles quidem, in eadem ecclesia postea conversus in feodo tenuit, in nostra protectione suscepi-
[fol. 12]mus, et donationem domini Leonii et filii sui, quae legitime facta est, confirmamus.

" Ut autem haec rata et inconvulsa permaneant, scripto in memoriam nostrorum transfundi, et sigilli nostri attestatione et testium subscriptione confirmari fecimus. Hi enim testes aderant :

" Alardus de Birbeek, Arnoldus Stroisele, Henricus Hagene, Gerelmus, Daniel de Hische, Michael, Simon ",

Moritur Hildebrandus anno 1200, 9 kal. julii.

Sub cujus regimine :

anno 1179, die 26 maii, pie mortali ex vita migravit frater Iwanus,

(2) Parc, abbaye des prémontrés, sise à Héverlé, commune de l'arr. et du c. de Louvain.

nobilis miles de Jette, fundatoris Onulphi ex filia nepos ; hic, post obitum uxoris suae, Gerardo filio bonorum suorum successione relicta, divino afflatus spiritu, in monasterio nostro prae eximia humilitate conversorum claustralium adivit statum, suscepitque habitum, in quo ut versus ac christianus miles armis certavit spiritualibus ; erat enim in oculis suis vilis, in sermone parcus, omni in opere circumspectus, in labore infractus, in oratione assiduus, in Deum devotus et in proximum maxime beneficus, etc.

Caeterum, dicto Gerardo, ejusdem Iwani filio unico, improli fato functo, ejusdem bonorum successio ad clarissimam Iwani sororem delata, illae aeternae retributionis intuitu, feudum de Jette, sub quo Iwani bona sita erant, ad opus Deo et ejus Genitrici servientium in ecclesia jettensi liberaliter, anno 1176, resignavit.

Anno 1183, fato functus est R. D. Winricus, hujus monasterii canonicus, qui tanta conscientiae puritate enituit, ut quotidie minimas animae maculas amaris doloris lacrimis defleverit.

VI. HENRICUS II

E vivis sublato abbate Hildebrando, eidem ad monasterium jettense regendum ex ecclesia sancti Martini laudunensis (1) submissus fuit canonicus regularis Henricus, hujus cœnobii jettensis abbas, ejus nominis secundus, et ordine 6^{s}, anno 1200 electus. Vir humilis qui praelaturae dignitatem omni cum laude gessit per triennium, et dein, sanctioris ac quietioris vitae accensus desiderio, subesse potius quam praeesse cupiens, eamdem sponte sua anno 1204 priori suo Sigero resignavit, quam postmodum, anno nempe 1220, post obitum abbatis Amelii rursus assumpsit.

[Fol. 13]

VII. SIGERUS

Hujus ecclesiae canonicus simul et monasterii prior laudabilis, ad abbatialem dignitatem erectus anno 1204 prae resignatione ejusdem sibi a praedecessore Henrico factam. Vir hic in seipsum summopere austerus, in alios vero omnimode benignus, instituti norbertini rigorem austeritatesque suos exemplo magis quam sermone docuit, ac in omnibus vitae spiritualis exercitiis eorumdem antesignanus extitit. Monasterii bona ab Oliverio, domino de Sottengien, ac fundatoris nepote anno 1214 sibi collata, ut et omnia ab ecclesia

(1) Laon, dans le département de l'Aisne (France).

nostra jettensi possessa, Henrici I[1], Lotharingiae ac Brabantiae ducis, patrocinio muniri fecit, ut patet ex ejusdem ducis diplomate hic sequente (1) :

" Henricus, Dei gratia dux Lotharingiae, universis ad quos praesens scriptum pervenerit in perpetuum.

Notum esse volumus, quod nos pia intentione defensionibus ecclesiarum, quae in nostro dominio sunt, intendentes, cum caeteris bonis ecclesiae jettensis etiam bonarium terrae juxta stratam regiam quae ducit versus Strombecam (2), quod Walterus miles de Wamblinis eidem ecclesiae, cum angulo quodam terrae non longe abhinc terram aliam ipsius ecclesiae attingente, in eleemosinam per manum et consensum nostrum contulit perpetuo libere possidendum ; et alnetum dictae abbatiae contiguum quod prius longo tempore tenuit et possedit ; salices quoque cum pasturis ibidem adjacentibus, usque ad viam quae ducit versus Strombecam, et paludem sitam ante abbatiam, quae vocatur Harincbruc, quae et eis ad placitum includere et ut placet utile sibi facere concessimus libere.

" Praetera molendinum et bonarium terrae in parochia de Laken (3), quae Godinus de Nivella (4), gener Berneri de Cuckelberga (5) quondam burgensis de Bruxella, similiter in eleemosinam cum filio suo Gerardo eidem contulit ecclesiae cum censu cujusdam curtis in eadem parochia.

" Insuper et decimam quandam ab Iwaino Rufo de Bodengem (6) emptam, quae est in parochia de Jeth, sub nostra et haeredum nostrorum protectione secura et libera ad opus ipsius ecclesiae volumus in perpetuum permanere.

" Si qui etiam advenae, peregrini, orphani sive etiam servi ad jus nostrum spectantes, si in praefata ecclesia aliqua sub custode deposuerint, vel in eleemosinam contulerint, sive etiam sine testamento obierint, omnia saepedictae ecclesiae concessimus possidenda.

" Quicumque ergo praefatam ecclesiam in his aut aliis bonis ejus, quae in [fol. 14] terra nostra sunt, perturbare praesumpserit, nostram quae illi allata fuerit injuria, refutamus.

---

(1) Editée par Miraeus & Foppens, *Opera diplomatica*, t. II, p. 991.

(2) Strombeek-Bever, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Wolverthem.

(3) Laeken, commune dans l'arr. et le c. de Bruxelles.

(4) Nivelles, chef-lieu d'arr.

(5) Koekelberg, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Molenbeek-Saint-Jean.

(6) Bodeghem-Saint-Martin, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Anderlecht.

" Haec autem ut imposterum a memoria non decidant, sigilli nostri appositione fecimus confirmari.

" Actum apud Bruxellam, in ecclesia sancti Joannis Baptistae, anno Domini M.CC.XVII. Testibus viris venerabilibus : Sigero, abbate. Waltero, priore ; Gerardo, praeposito. Sigero, notario. I. decano Ten., Walthero de Wanblinis ; Desiderio de Helrode, militibus et aliis multis ".

Demum e vita mortali ereptus est abbas Sigerus anno 1217, die 19 julii.

Sub cujus praelatura viam universae carnis ingressi sunt sequentes :

Anno 1209, R. D. Gualterus, vir admirandae pietatis atque simplicitatis, qui ut prior per annos multos ad singularem animarum confratrum suorum consolationem iis praefuit.

Eodem praefato anno, R. D. Gosuinus, hujus monasterii canonicus, morum simplicitatae conspicuus, aspectu amabilis, divinis sub officiis singulariter modestus, in mensa temperans, in sermone parcus, in actibus verecundus ac mansuetus, in tantum ut vix quemquam offendere posse sit habitus.

Anno 1213, R. D. Alstanus, canonicus, qui vitam egit virtutibus adeo conspicuam, ut humilitatis atque religiosae perfectionis sese omnibus praebuerit speculum.

Eodem anno, R. D. Gosuinus, junior, hujus aedis canonicus.

Anno 1216, R. D. Walterus, hujus cœnobii canonicus et prior, in statura pusillus, ast virtute magnus, morumque integritate conspicuus, qui ut testis praecedens Henrici, Lotharingiae ducis, diploma signavit.

VIII. EGERICUS sive EGRICUS

Hujus asceterii canonicus et dein ejusdem abbas (in ordine chronologico 8[s]) electus anno 1217. Hic per commutationem quorumdam allodiorum comparavit ab Henrico, filio domini Oliverii de Sottenghien, domistadia et terras sitas in agro de Didligem, quae Guilielmus, filius Nicolai de Didlegem, in manus Gosuini militis de Saventhem (1), a quo eadem bona in feudum tenuerat, resignavit, et ipse Gosuinus eadem in manus domini Henrici de Sotteghien, supremi feudi domini, omni cum integritate reddiderat. Hinc ab obtento dicto feudo, anno circiter 1218, ecclesiae nostrae jettensi, a loco,

(1) Saventhem, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Schaerbeek.

in quo sita erat, hactenus ita vocata nomen diligemensis adhaesit, candidae dilectionis profecto continuum commemorativum ; cujus etiam die penultima ja[fol. 15]nuarii Eggericus, primus sub titulo diligemensis abbas, ad Patrem dilectionis morte praematura translatus est.

IX. WENEMARUS

Sancti Martini Laudunensis canonicus exin hujus cœnobii Diligemensis abbas 9^{s}, anno 1218 electus. Vir in conversatione placidus, ac simplicitate morumque honestate conspicuus, qua propter Oliverius, dominus de Sottengien, suam illi extendit liberalitatem, filiis Henrico et Waltero paternae, imo avitae pietati consentientibus ac subscribentibus. Brevis autem fuit illius praelatura, nam diem clausit extremum, 21 martii 1219.

Interim sub ejus regimine :

Anno 1218, vitales auras reliquit R. D. Hastanus, hujus monasterii canonicus et subprior, in muniis suis obeundis exactus, qui licet debilis viribus, communia interim vitae regularis onera primus in confratrum suorum exemplum portavit, divinis in laudibus tali in Deum mentis elevatione interesse assuetus, ut solo aspectu illius alii ad devotionem excitarentur.

X. AMELIUS

Beati Joannis Baptistae Averbodiensis (1) cœnobii canonicus, defuncto Wenemaro, electus anno 1219 ; abbas diligemensis, in serie chronologica 10^{s}. Hic virtutibus variis animam exornare sategit suam, admirabili nempe spiritus mansuetudine, ineffabili animi benignitate, continua cordis vigilia, insuperabili disciplinae regularis observantiae studio, atque in sanctam Dei Matrem praecipue, Caelitesque pietate. Huic vixdum installato Leonius, castellanus bruxellensis, fundatoris diligemensis Onulphi ex filia pronepos ex virtutum haeres, multa in eleemosinam concessit, ab ejusdem asceterii fratribus perpetuo possidenda.

Amelius interim nondum unius anni praelatus, homines lucemque reliquit, die 4 januarii (aliis 26 februarii) 1220.

Sub cujus regimine :

Anno 1219, vivere desiit R. D. Gerardus, hujus domus canonicus

(1) Averbode, abbaye de chanoines prémontrés, sise à Testelt, commune dans l'arr. de Louvain, c. de Diest.

et prior, qui velut stella matutina haud minus utilitate quam moribus minime vulgaribus praefuit.

Anno 1220, moritur frater Joannes, diaconus.

Denato Amelio, Henricus, 6[s] abbas jettensis, qui anno 1204 praelaturam priori suo Sigero resignarat, divina quadam providentia hactenus superstes, onus relictum rursus reassumpsit. In hac dignitate iterato constitutus, de consuetis [fol. 16] virtutum ac regularis disciplinae exercitiis non tantum remisit nihil, sed multo iisdem vacavit impensius, talemque se exhibuit, qualem Divi Augustini regula expetit ; se bonorum operum exemplum praebens, disciplinam regularem amavit, zelosus fovit, metuendus imposuit, virtutibusque onustus demum in pace vivendi finem fecit die praevio Assumptionis Deiparae Virginis anno 1226.

Sub illius regimine, anno 1224, facta fuit conventio nostros inter ac canonicos grimbergenses quoad decimas novales, constitutis ea de causa conciliatoribus Grimbergensi, Trunchinensi ac Diligemensi abbatibus, qua cœnobium nostrum anno subsequenti obtinuit decimam de Westrode (2).

XI. GERINUS

Ecclesiae diligemensis canonicus professus et olim prior, ad eamdem moderandam electus anno 1226 ; de quo praeclarum antiqua tradunt monumenta his verbis elogium : " Gerinus iste strenue praesentem rexit ecclesiam ". Illibatus etenim extitit regularis observantiae ac disciplinae custos, quibus diu noctuque invigilavit ; divinis in officiis atque sacrorum librorum assiduus, verbo et exemplo suis praeluxit, cujus etiam opera religiosorum dormitorium magnificum et sumptuosum ex candido et secto lapide structum memoratur. Illo regente, Leonius, castellanus bruxellensis, ejusque gentiles Walterus et Aegidius, Oliverii domini de Sottengien filii, majorum munificentiam praeclare nobis continuarunt. Inter mortales esse desiit Gerinus anno 1230, 5 kal. aprilis.

Sub cujus regimine mortis iter inierunt sequentes :

Anno 1227, R. D. Henricus, hujus ecclesiae canonicus et prior, vir prudens et sobrius, castus, mansuetus et lenis, divinoque in officio assiduus.

Anno 1229, R. D. Henricus, hujus aedis canonicus ac subprior.

Eodem anno, R. D. Adam, canonicus et prior ; cura praecipua

(2) Westrhode, dép. de Wolverthem.

fuit regnum Dei quaerere et justitiam ejus, quapropter indesinenter pro regularis disciplinae observantia contendit, et exemplo suo potius quam verbo curae suae commissos praeivit, in munere sibi imposito disciplinae pium aemulatorem, excessuum vero severum sese exhibens vindicem, haud praelatorum favorem, sed subditorum salutem ambivit, praecordiaque dulcedinis induens, manum prompte porrexit, et medius Deum inter et homines, magistrum et subditos, minora correxit, majora vero sibi superiori reservavit.

[Fol. 17] XII. DANIEL

Monasterii sanctorum Cornelii et Cypriani, juxta Ninoviam, canonicus, exin abbas dilligemensis 12^{s}, post obitum Gerini, anno 1230 electus. Vir singularis gratiae, grati animi ac virtutis, qui concrediti sibi asceterii, sui suorumque salutis curam tam sollicite gessit, ut ob insignem haud dubie dexteritatem aliasque virtutes in hac diligemeni praelatura probatas, a nativi sui conventus canonicis in abbatem fuerit postulatus atque electus, et sic maestus anno 1242 coactus fuerit deserere dilegemenses. E vivis ereptus est Ninoviae die 14 kal. februarii 1255.

Sub cujus jettensi praefectura ex hoc mundo migrarunt :

Anno 1231, R. D Henricus, hujus domus canonicus.

Anno 1234, R. D. Desiderius, itidem canonicus.

Anno 1239, frater Gosuinus, in ordine diaconus, speculum admirandae mansuetudinis.

Anno 1241, frater Theodoricus, diaconus.

Anno 1244, R. D. Godefridus de Monte, canonicus, Aegidii filius.

XIII. WALTERUS

Cognomine De Caelmont (1), canonicus grimbergensis, nostrorum postulatione praesul cœnobii diligemensis constitutus est anno 1242. Vir fama et eruditione minime vulgari conspicuus ; magnae apud principes viros existimationis fuisse apparet ex eo, quod in maximi momenti controversis negotiis arbiter ac judex fuerit electus ab illustri principe Godefrido de Lovanio, Henrici 1°, ducis Lotharingiae ac Brabantiae, quem pugnacem vocant, ex Machtilde Bononiensi filio, ac Henrici magnanimi fratre ; ut constat ex diplomate sequenti, quod habet :

(1) Walter de Roesbeke, dit Van Gestel, *o. c.*, t. II, p. 91.

" Godefridus de Lovanio, frater ducis Lotharingiae, etc. Noverint universi, quod ego, G. de Lovanio, de villicatione terrae de Goica (2), omnia bona in manibus proborum posui virorum ; scilicet domini abbatis de Dilighem et magistri Danielis, donec declaratum fuerit, quis praedicta bona de jure debeat detinere, aut capitulum Nivellense (3) aut illi, qui in villicatione dicta poscunt haereditatem. Insuper et super omnibus, de quibus litigatio inter me et capitulum praefatum fuerit, aut oriri possit, per consilium praedictorum me fateor operari. Datum anno Domini 1242 ".

Caeterum Waltherus hic a matrice sua grimbergensi ecclesia ad regimen ejus[fol. 18]dem repostulatus anno 1257, eo reversus, ibidem supremum obiit diem 3ª mensis octobris 1259.

Illo Diligemii regente, mortis falci succubuit :

Anno 1257, R. D. Gregorius Brixtius, hujus conventus canonicus et prior.

Hoc tempore floruit celebris ille insignium praebendarum in basilica sancti Rumoldi Mechliniae fundator dominus Arnoldus de Zellar (4), ibidem scholasticus, pius item, ac Diligemio sub annum 1250 munificus, cujus memoria in necrologio nostro diligemensi signatur ipsis kal. februarii.

XIV. GODESCALCUS

Hujus cœnobii canonicus, cujus abbas 14ˢ adlectus est anno 1257, reverso Grimbergam praedecessore. Vir praeclarus, qui, pater, pietate eximia, legum et disciplinae observantia coruscus, caetus sui filios iisdem efflorescere fecit, hospitalitatem haud minus largam quam benignam exhibuit. Eo sedente, domus nostra cum in spiritualibus tum temporalibus in rebus dietim fere sumpsit incrementa. Anno namque suae moderationis secundo varia a Nicolao de Fonte Viva varia adeptus est privilegia, et conventum suum dein notabilibus dominiis temporalibus in Heembeca, Dilbeca (1) et alibi ditavit. Et in spiritualibus etiam auxit, dum anno 1273, vitae suae cursus paenultimo, cum praedecessore Waltero, hujus primum dein Grimbergensis cœnobii abbate, ejusque canonicis mense februario fra-

(2) Goyck, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Lennick-Saint-Quentin.

(3) Chapitre noble de Sainte-Gertrude, à Nivelles.

(4) Au sujet du chanoine Arnold de Zellaer et la fondation du collège des Zellariens à la cathédrale de Saint-Rombaut de Malines, voir J. Laenen, *Histoire de l'église métropolitaine de Saint-Rombaut*, t. I, p. 215. Malines, 1919.

(1) Dilbeek, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Anderlecht.

ternitatis fœdus sanxivit, quod hactenus inviolate observare pro virili utraque domus pergit, cum acceptissimo confratrum hinc inde e vivis discedentium refrigerio, uti christiane et pie credere fas est.

Mortem oppetiit anno 1274, die 7 kal. maii ; conditus in veteri loco capitulari, ubi olim ejus sarcopagus, sculptura pro ea tempestate insignis, visus fuit.

Sub hujus venerandi viri regimine vitae suae cursum finierunt sequentes :

Anno 1258, R. D. Joannes de Pede, canonicus.

Anno 1260, R. D. Jacobus Donati, hujus aedis canonicus, paupertatis sectator rigidus, unica tunica ad usum contentus.

Anno 1261, R. D. Arnoldus, canonicus et praepositus in Jette. Vir sinceritate ac probitate excellens, et largarum eleemosinarum non infrequens erogator.

Anno 1263, R. D. Aegidius Fabri alias De Smet, hujus monasterii canonicus.

[Fol. 19]

XV. ONULPHUS

Canonicus ninoviensis, ad monasterii nostri jettensis praefecturam assumptus anno 1274 ; qui maxime cordi habuit disciplinae norbertinae conservationem nec non spiritualium augmentum ; paterna gerens viscera, cunctis se affabilem et acceptum reddidit ; inopinate nobis ereptus 13 kal. novembris anno 1275.

Sub quo :

Eodem anno 1275 e mundo sublatus est R. D. Simon, hujus ecclesiae canonicus et praepositus in Jette ; vir benignus, in divino verbo disertus et in persuadendo ita efficax, ut de illo publice diceretur : " Vox ejus sonora est ut tuba divina et velut vox angeli ".

XVI. AEGIDIUS

Canonicus trunchinensis, qui, defuncto Onulpho, hujus cœnobii jettensis administrationem adiit anno 1275. Notus solummodo nomine ac regiminis tempore, cum ejusdem fere nulla in archivis exstet mentio. Fatis concessit anno 1284, die 24ª junii.

XVII. HENRICUS

Ecclesiae diligemensis canonicus, et exin ejusdem abbas (hujus nominis tertius) electus anno 1284. Monasterio sibi concredito tanta cura sollicitudineque invigilavit, ejusdemque communitati morum

probitate atque vitae integritate taliter praeluxit, ut prae suavi omnigenae virtutis sparso de se odore, meritisque principibus gratus, amorem eorum, favorem, atque benevolentiam captarit, plurimisque donis ac privilegiis ab iisdem fuerit cumulatus ; nam ad requisitionem illius principes piissimi Joannes I^{s} ac II^{s} Lotharingiae, Brabantiae ac Limburgi duces, advocatiam seu defensionem monasterii nostri assumpsere, promittentes religiosos diligemenses in bonis, possessionibus ac libertatibus eorumdem contra quoscumque, tamquam ipsorum justi ac veri domini bona fide favorabiliter defensare, ut patet ex primi ducis diplomate, dato mense aprili anno 1292 ; secundi, mense januario 1297 ". Utroque etiam diplomate, conformi verborum tenore, licentiant religiosis diligemensibus pro suo ac suorum successorum commodo et usu quocumque, unam [fol. 20] mansionem in quolibet oppido, de septem suis oppidis, videlicet Lovanio (1), Bruxella, Antwerpia (2), Busco (3), Thenis (4), Nivella et Levis (5) posse habere perpetuo et tenere ". Insuper ecclesiam suam anno 1300 eximiis sacrisque gloriosissimi martyris ac episcopi Blasii reliquiis, binis nempe brachii dexteris ossibus majoribus, auro argentoque exornatis ac pretiosae lypsanothecae in formam brachii inclusis, et a Margareta, regis anglorum filia, necnon Joannis II Brabantiae ducis conjuge piissima collatis, ditavit ; ac demum animam Creatori suo reddidit 5 nonas martii ejusdem anni praefati.

Eo regente :

Anno 1286, obiit R. D. Arnoldus de Angulo, canonicus.

Anno 1288, fatum subiit R. D. Petrus de Terranova, hujus aedis canonicus et pastor Humbecae inferioris, ubi oves sibi concreditas cum verbo divino, tum virtutum exemplis solicite pavit, pro earumdem salute vitam dare paratus.

Anno 1289, vivendi finem fecit R. D. Onundus Verhasselt, canonicus, qui ob vitae regularis merita praeclara ad parochialia munia de Leeuwis super Teneram deputatus, ibidem verbi Dei praeco eximius, peculiari animos permovendi praeditus gratia, justos ad virtutem, peccatores autem ad pœnitentiam sermone et exemplo traxit.

Anno 1290, vitae suae cursum finivit R. D. Daniel, hujus monasterii canonicus necnon Humbecae inferioris pastor quadriennalis.

---

(1) Louvain, chef-lieu d'arr.
(2) Anvers, chef-lieu de la province d'Anvers.
(3) Bois-le-Duc, chef-lieu du Brabant Septentrional (Hollande).
(4) Tirlemont, ville dans l'arr. de Louvain, chef-lieu de c.
(5) Léau, ville dans l'arr. de Louvain, chef-lieu de c.

Vir summae religionis et mirae abstinentiae, variis in scientiis, praecipue theologica, admodum eruditus, et in verbo divino exponendo perquam facundus ac gratus.

Anno 1292, spiritum emisit R. D. Michael de Mechlinia, hujus domus canonicus. Vir vitae pietate et integritate conspicuus, qui et fuit paupertatis amantissimus et vilissimis contentus.

Anno 1294, obiit Aegidius Faber, frater conversus.

Anno 1296, moritur R. D. Paulus, hujus ecclesiae canonicus.

Anno 1299, R. D. Petrus Reten, canonicus et hujus asceterii provisor, religiosus vitae integrae et inculpatae.

Anno praefato 1299, mortis falci succubuit R. D. Joannis Meldert, canonicus et novennio in Heembeca inferiori curatus ; qui oves sibi commissas ad aeternae vitae pascua deducere omnimode sategit, iisque ut pastor optimus diro contagionis tempore tam assidue adstitit donec et ille, eodem contracto morbo, zeli ac charitatis suae demum evaserit victimam.

[Fol. 21] XVIII. GERARDUS

Cœnobii sancti Joannis Evangelistae parchensis canonicus, nec non Insulae Ducis, prope Gempe (1), praepositus, dein ecclesiae jettensis abbas 18^s^, anno 1300 electus. Vir aeterna dignus laude, ob gloriosas sancti Blasii episcopi et martyris, ipso fere praelaturae suae ingressu ecclesiae suae illustri procul dubio illatas triumpho, a piissima heroina Margareta, Joannis II, Brabantiae ducis conjuge, ut supradictum, asceterio diligemensi summopere addicta, dono datas.

Praesulis hujus prima ac praecipua cura fuit divini cultus augmentum, quem subditis suo commendavit exemplo, et horarum canonicarum cantu assiduo magis magisque succensit ; regularis amator disciplinae, eam sibi aliisque absque metu imposuit. Eo moderante, Raso dictus a Gavera, dominus Liedekerckanus illi contulit capellaniam sive prebendam simplicem in parochiali ecclesia leeuwensi super Teneram fluvium sitam, quam donationem confirmavit Guido, cameracensis antistes. Demum anno 1308 resignato abbatiali munere, eidem tranquille annis quindecim supervixit, tandemque mortem oppetiit die 9 martii 1323.

Anno 1302, denatus est R. D. Joannes Rethi, hujus aedis canonicus.

---

(1) Prévôté de l'Ile-Duc, à Gempe, dép. de Winghe-Saint-Georges, commune dans l'arr. de Louvain, c. de Glabbeek.

Eodem anno, R. D. Adrianus Sylvanus, canonicus hujus ecclesiae et pastor annis tredecim in Leeuwis super Teneram, studiosus piorum amator, et delictorum sine exceptione censor intrepidus atque correptor, nec non pauperum pater beneficus.

Anno 1304, die 28 decembris, fatis concessit R. D. Christophorus de Ophem, hujus domus canonicus et olim subprior.

Anno 1306, mortis jaculo confessus obiit R. D. Joannes de Vlesenbeeck, canonicus, Deo et hominibus patienta, mansuetudine, humilitate aliisque virtutibus sibi propriis summe commendabilis.

Eodem anno, mortuus est R. D. Gerardus de Lira, hujus ecclesiae canonicus. Vir animi lenitate et mansuetudine excellens, qui dum sibi invicem iratos resciret,monitis salutaribus illorum animos in tantum tangebat, ut eos ad pacem concordiamque fraternam absque ulla mora reverti cogeret.

Anno 1307, abs invida parca mortali e vita raptus est R. D. Joannes de Pamele, hujus monasterii canonicus.

[Fol. 22]

XIX. PETRUS

Ecclesiae diligemensis professus, anno 1308, Gerardo praelaturam resignante, abbas designatus ; resignationem eodem anno die 14 februarii morte praevenit. Vir erat in prosperis et adversis constans, mansuetus et sobrius, erga omnes mitis, ast sibi soli durus.

XX. EUSTACIUS

Diligemensis itidem canonicus, ejusdem ecclesiae moderator (ordine 20[s]) electus anno 1308. Hic inter primarias muneris sui curas habuit subditis suis instillare sacrarum litterarum amorem, et ejusdem generis studia promovere. Illo sedente, cum controversia exorta esset inter Brabantiae ducem seu ejus ministros palatinos et monasterium nostrum diligemense super dominio de Heembeca, Eustacius, jus suum egregie tutatus,sententia judicum superior evasit. Vir hic in conventum suum beneficus (more tum temporis apud abbates usitato) pittantiae communi multa legavit, industria extraorinaria aquisita, plura facturus nisi invida nullique parcens Parca illum e vita rapuisset anno 1310, die 4[a] decembris.

Interim sub ejus regimine sat brevi mortem subierunt :

Anno 1309, R. D. Johannes Coninck, canonicus.

Eodem anno, frater Laurentius Marien, conversus, mirum virtutum fulgor, qui omnibus praecipue humilitate praeluxit.

XXI. JOANNES DE CRAENE

Hujus ecclesiae canonicus, defuncto Eustacio, abbatiali dignitate condecoratur anno 1310. Vir hic eximia praeditus prudentia, discretione tanta gubernavit, ut in eo nil aliud exoptaretur nisi multorum annorum regimen ; conventum namque suum cum spiritualibus tum temporalibus auxit opibus, obque egregias virtutes principibus binis extitit charissimus, adeoque Joanni III, Brabantiae duci, a quo favores ac privilegia multa, nec non bona in Dilbeka acquisivit. Communem humani generis sortem subiit 3 nonnas maii 1330.

Sub cujus praelatura viam universae carnis ingressi sunt ex confratribus nostris sequentes, nempe :

[Fol. 23] Anno 1312, R. D. Joannes Americx, canonicus.

Anno 1321. R. D. Joannes Corve,canonicus et prior.

Anno 1321, R. D. Michael de Tellere, canonicus, vir erga Deum ac patronum plurimum devotus.

Anno 1326, R. D. Joannes de Vucht, canonicus, defunctus 24 martii.

XXII. JOANNES CRUPELANT

Monasterii nostri diligemensis canonicus, abbatiali dignitate insignitus anno 1330. Vir virtutibus conspicuus, moribus vere candidus et fama celeber, que sese pauperum, viduarum atque orphanorum patrem nec non ovium suorum egregium exhibuit pastorem. Hic refugium bruxellense, seu domicilium religiosis suis in urbem divertentibus recipiendis destinatum, arctum prius et angustum, adjacentium fundorum accessione ampliavit quo iisdem in urbe hospitandi mansionem paravit, si per bella aliasve necessitates ad id infuturum congerentur. Vitam cum morte commutavit anno 1338, die 14 kal. septembris.

Sub cujus moderatione mortalitatis sarcinam hoc in conventu deposuerunt sequentes :

Anno 1332, R. D. Walterus de Mil, canonicus, juvenis.

Anno 1334, R. D. Judas Drossaten, canonicus et pastor in Heembeca inferiori, eruditione ac animarum zelo celeberrimus, et verbi divini annuntiationi jugiter intentus.

XXIII. THEODORICUS

Hujus aedis canonicus, ad ejusdem praefecturam assumptus anno 1338. Abbas hic (in serie chronologica 23ª) regularis disciplinae non tantum vindex, sed et pacis ac concordiae fraternae fautor, subditos per justitiae semitam ad Christi ovile, sermone et exemplis praeeuns, omnimode perducere sategit ; plura etiam a toparcha de Merode adeptus est bona, et naturae debitum solvit die ultima mensis augusti 1345.

Sub ejus regimine vitam mortalem reliquerunt :

Anno 1339, R. D. Johannes Heyms, canonicus.

Anno 1341, R. D. Henricus Kerstiaens, canonicus in numen supremum devotus.

Anno 1344, R.D. Henricus, hujus aedis canonicus et per decennium [fol. 24] Heembeca inferioris curatus. Vir potens opere ac sermone, sed et potissimum in pauperes adeo profusus, ut eam ob causam vulgariter appellatus sit eleemosynarius.

Praefato anno, R. D. Joannes Kimpe, canonicus et pitantiarius.

Anno 1345, (Theoderici praefati moderationis ultimo), die 8ª mnesis junii, visitavit monasterium nostrum Reverendissimus Dominus Joannes, abbas Praemonstratensis (1) et totius Ordinis praefectus, una cum abbatibus sancti Augustini apud Terouanam (2) et Ninivensi, qui de eadem sequens dedit elogium : " Nos ad ecclesiam jettensem descendimus, gratia visitandi, in qua statum competentem, concordiam et bonam pacem, sollicita super his inquisitione facta, invenimus ; unde gaudentes quam plurimum Deo pacis et concordiae referebamus gratias, ut dicebat. Actum anno 1345, die 8ª junii. "

XXIV. JOHANNES AB ASCA

Alias Van Assche, hujus conventus canonicus ac prior, ejusdem abbas (24ª) anno 1345 electus. Ecclesiae suae proventus œconomia egregie auxit ; inter alia namque dominium de Dilbeca (quod anteactis temporibus monasterio nostro diligemensi competiit) e manibus domini Gaesbecani (1), ipsum tunc usurpatione injuste occupantis, strenue vindicavit ; plurima itidem bona in Heembeca comparavit,

---

(1) Prémontré, abbaye-mère de l'Ordre de Prémontré, près d'Anizy, dép. de l'Aisne (France). Il s'agit de l'abbé Jean de Saint-Quentin (1339-1352).

(2) Saint-Augustin, abbaye de prémontrés, près de Thérouanne, dép. du Pas-de-Calais (France).

(1) Gaesbeek, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Lennick-Saint-Quentin.

eo propter ac ob regimen providum maximopere laudatus ; spes igitur illum de gemino talento duplicatam reportasse mercedem. Diem clausit novissimum in pervigilio sancti martyris Laurentii, anno 1377.

Sub illius sat diuturna praelatura, quod statutum est humano generi mortis debitum subierunt sequentes, nimirum :

Anno 1346, frater Walterus de Neckers, diaconus.

Anno 1347, R. D. Nicolaus Lutoghe, canonicus hujus conventus et publicus auctoritate imperiali notarius, scientia juris plurimum coruscus.

Anno 1370, R. D. Joannes Van Raccort, canonicus necnon parochus in Wolverthem. Vir mansuetus, at alienae famae detractorum inimicus implacabilis.

Anno 1377, R. D. Adrianus Linen, hujus monasterii canonicus et Heembecae inferioris pastor, qui munus sibi impositum magno obivit zelo.

[Fol. 25] XXV. NICOLAUS DE LEEUW

De Herent (1), hujus conventus canonicus, olim prior et ejusdem provisor, et demum moderator (25^{s}) electus anno 1377. Vir hic perfectum futuri praelati specimen dederat, velut ambidexter, utpote in spiritualibus aeque ac temporali regimine exercitatus ; prior existens et exinde sedem abbatialem conscendere jussus, tamquam per omnia probatus inventus est, neque expectationi de se conceptae defuit, nam ingenio ac virtutibus clarus, seposito omni respectu humano, improba damnabat et minime decentia, laudanda laudabat et justitia gubernabat,utque fidelis servus et prudens, constitutus a Domino, praefuit, donec ab hoc saeculo evocatus est anno 1384 ; ipsa die qua ab Ecclesia eximii ac magni doctoris Aurelii Augustini celebratur depositio.

Illo regente, vitam cum morte commutarunt sequentes, nempe :

Anno 1379, R. D. Gosuinus de Bode, hujus ecclesiae canonicus et pastor in Jette, in munere suo sedulus et laboriosus.

Anno 1380, R. D. Aegidius Lighmans, canonicus. Vir inter psallendum vehementi devotionis igne accensus, qui vix, nisi de rebus caelestibus, colloquia instituebat.

Anno 1382, R. D. Petrus Mettenzade, canonicus.

Eodem anno, R. D. Aegidius Baers, canonicus.

---

(1) Commune dans l'arr. et le c. de Louvain.

XXVI. JOANNES DE MIDDELBORCH

Canonicus diligemensis, huic conventui abbas 26[s] datur anno 1384. Vir sacrorum librorum scriptor peritissimus, cujus etiamnum in choro religiosi nostri utuntur codice egregio, vere calligraphi opere concinnato, ac ad medietatem fere propria illius manu descriptio, ac luculento charactere exarato, cum notis pro gregoriano more ad antiphonas et responsoria decantanda, quem morte praeventus imperfectum reliquit ; sed post decessum ejus jussu domini Giselberti de Wolf, in regimine successoris, per manus fratris Joannis Jacobi, prioris, ad finem perductus circa annum 1407.

Caeterum praesul hic, relictis plurimorum virtutum exemplis, post sedecim annorum laudabilem administrationem, Creatori suo reddidit animam die 15 octobris 1400, conditus cum brevi quidem sed nervoso hoc elogio.

[Fol. 26] Hic jacet
Dominus Joannes, abbas hujus ecclesiae,
Cognomine Middelborch,
Qui eamdem ecclesiam honeste rexit sedecim annis,
Obiit anno 1400 decimo septimo kal. octobris.

Anno 1386, humanis exemptus est R. D. Carolus Guilier, hujus domus canonicus, et annis undecim pastor in Heembeka, parochianorum suorum, praesertim infirmorum, pater, quibus in quantum potuit, profuit.

Anno 1387, mundum deseruit R. D. Henricus de Vilvordia, hujus monasterii canonicus et octennio pastor in Jette, proximi diurnus et nocturnus in salutis negotio adjutor et adhortator, unica ejusdem voluptas.

XXVII. GHISELBERTUS LUPUS (1)

Alias De Wolf, ex Boxtel (2), Brabantus, hujus conventus canonicus, œconomus frugalis seu et ejusdem provisor, exin abbas 27[s] electus anno 1400. Vir hic ingenio praestans, memoriae tenax, eloquio clarus, conversatione amabilis, sibi parcus ast in fratres extitit munificus. Principibus viris ac faeminis charus, a Johanna, Lucemburgi, Lotharingiae ac Brabantiae, etc. ducissa, nec non Wenceslai

(1) Van Gestel (*o. c.*, t. II, p. 92) donne Guillaume De Wolf.
(2) Commune près de Bois-le-Duc, prov. du Brabant Septentrional (Pays-Bas).

ducis vidua, anno 1401, 29ª novembris, obtinuit diploma, quo illa ultra sponsionem generalis patrocinii, curiam in Diveerbosch, quam tunc monasterium nostrum possedit, sub sua recipit protectione, interdicens ne aucupes aliique venatores aulici gravare, aut impensis vexare illud aut dictam curiam in perpetuum praesumant. Obtinuit et alterum diploma ab Antonio itidem Lotharingiae ac Brabantiae, etc. duce, datum anno 1411, die 21 octobris, quo per hunc, supradictae ducissae Johannae ex sororis filia pronepotem et in principatibus successorem, quorumdam bonorum Diligemio obvenientium sit amortizatio ex parte domini Gerardi de Cockelberg, quem dux armigerum vocat.

Caeterum ad hujus abbatis instantiam conventui diligemensi non parum benefici etiam fuere domicella Wivina de Cockelberg, praefati Gerardi filia, una cum Henrico de Rotselaer et Petro Vandertommen, consentiente domina Catharina t'Sersanders. Johannes item de Cockelberg, Ludovici filius, sub annum 1421 ; ipse vero praesul Ghiselbertus fatalem animae a corpore passus est divisionem idibus quintilibus (15 julii) 1424 quo ex ecclesiae belgicae usu Apostolorum colitur [fol. 27] divisio.

Sub cujus regimine :

Anno saeculari 1401, die 29 januarii, inter vivos esse desiit R. D. Henricus Schadlijn, hujus ecclesiae canonicus et pastor jettensis.

Anno 1402, R. D. Joannes Vanderbelen, canonicus ac pastor sedulus in Wolverthem, qui gregem sibi commissum sermone et opere pavit.

Anno 1406, obiit R. D. Gerardus Waspoet, canonicus.

Anno 1413, lumen vitale deseruit R. D. Joannes Verbelen, hujus aedis canonicus et decennio in Heembeka inferiori curatus, castitatis virtuti et misericordiae operibus addictissimus.

Anno 1417, aeternitatis viam iniit R. D. Henricus Huyskene, hujus ecclesiae canonicus et per tria lustra in Wolverthem parochus, in adjuvandis pauperibus admodum zelosus, eorum latibula dietim circuibat, elargiens quantum eorum sublevandae inopiae sufficere judicabat.

Anno 1418, morti succubuit R. D. Henricus Steenweghe, hujus asceterii canonicus, typus pietatis.

Eodem anno, vita functus est R. D. Godefridus Corens, canonicus et per annum pastor in Wolverthem, qui ignitis suis concionibus ovium suorum corda ad pœnitentiam reduxit.

Anno 1420, moritur R. D. Nicolaus Onolf, canonicus.

Anno 1423, e vivis ereptus est R. D. Bartholomaeus de Brusse-

gem, hujus aedis canonicus necnon pastor in Wolverthem per quinquennium ; vir lenis et praestans.

XXVIII. JOANNES JACOBI

Alias Jacobs, qui primitus canonicus regularis monasterii Viridis Vallis in Sylva-Sonia (1), ad conventum diligemensem Ordinemque praemonstratensem transiit, in quo, candido assumpto habitu, juxta professionem suam ita laudabiliter vixit, ut transitus iste nonnisi ex motivo recto ac sancti Spiritus impulsu contigisse censendus sit ; prior dein huic domui datus, ejusdem demum rector supremus 28ª electus anno 1424. Ea in dignitate, post sedecim annorum laudabile regimen, in pace quievit anno 1440, 4 idus sextiles.

Sub cujus praesulatu :

Anno 1426, vivere desiit R. D. Godefridus Vandendriesche, canonicus.

Anno 1428, mortali e vita rapitur R. D. Aegidius de Roose, hujus domus canonicus et prior, exacta disciplinae regularis observantia plurimum commen[fol. 28]dabilis.

Anno 1430, die 3 junii denatus est R. D. Wilhelmus Hoyck, canonicus.

Anno 1433, animam exhaltavit R. D. Henricus Van Haren, hujus monasterii canonicus et provisor, qui munus sibi demandatum probitate atque fidelitate apprime condecoravit.

Anno 1436, vivis excessit R. D. Joannes Van Alsputte, canonicus et triennalis hujus asceterii provisor, litterarum scientia perquam eruditus.

XXIX. WILHELMUS CROES

Hujus ecclesiae canonicus, cujus factus est abbas 29ª anno 1440. Vir hic, qui domui suae spiritualibus praeceptis atque temporalibus incrementis praeesse novit, suppellectilem argenteam multam, tam sacrae quam communis mensae usibus confecisse notatur, et multa bona in Leeuwis super Teneram etiam comparavit. Mortali ex vita rapitur anno 1457, die 10ª maii.

Sub ejus praefectura vallem hanc lacrymarum deseruere sequentes, nempe :

Anno 1446, R. D. Waltherus Toemaet, canonicus.

Anno 1448, R. D. Jacobus Symoens, canonicus.

---

(1) Groenendael, prieuré de chanoines augustins, sis à Hoeylaert, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Ixelles.

Anno 1455, R. D. Henricus Van Beerts, canonicus, vir eruditione clarus.

Anno 1456, R. D. Joannes Eyckhout, canonicus.

XXX. JOANNES DE QUERCU

Alias Vander Eycken, mechliniensis (1) origine, hujus conventus religiosus professus, ad ejusdem clavum admotus anno 1457. Vir pacifici maxime regiminis laude commendatus; religioni enim deditus et animo simplex, suos ut pater dilexit, utque pastor regit, et placida morte quievit 4 kal. majas 1462.

Anno 1458, vitam finivit R. D. Aegidius Coevoet, canonicus.

Anno 1458, defunctus est R. D. Aegidius Vanderhaeghen, canonicus.

XXXI. JOANNES A LINIACO

Alias de Lenneke, Tenerammundanus (1), hujus aedis canonicus, ejusdem praesul 31^{s} electus anno 1462. Vir gravis consilii et eopropter a viris eruditis magnopere aestimatus, qui sibi subditos miro amore ac benevolentia complexus est, [fol. 29] a quibus et ipse veneratione filiali vicissim cultus fuit. Anno praelaturae septimo, quieturus ab onere ob impotentiam naturalem resignavit anno 1469, et a facta resignatione septemdecim adhuc annis superstes ; demum ab erumnosis vitae miseriis in pace requievit anno 1487, septimo idus julii.

Illo moderante lumen vitale deseruerunt :

Anno 1462, R. D. Nicolaus Vanderheyden, canonicus.

Anno 1464, die 12 martii, R. D. Petrus Zegers, canonicus, juris canonici baccalaureus, necnon pastor in Meusegem.

Anno 1468, frater Guilielmus Samel, acolythus.

XXXII. ROLANDUS PIQUOT

Bruxellensis, quem locus natalis Diligemio religiosum dedit anno 1458. Vir hic omni in scientiarum genere versatissimus, praesertim in jure canonico, qua in facultate laurea magistrali in academia lovaniensi (1), anno 1467, honore magno donatus fuit ; monasterii

(1) Malines, chef-lieu d'arr.

(1) Termonde, chef-lieu d'arr.

(1) L'Université de Louvain fut créée en 1426. "Après la fondation dg *Studium generale* à Louvain, c'est dans cette ville que l'on envoya les étudiants

sui dein subprior ac juniorum instructor existens, praesul 32[s] ejusdem anno 1470 electus est. Conscripsit diarium accuratissimum de vita sua ac de iis, quae sui regiminis, ac utriusque successoris, quamdiu superfuit, temporibus Diligemii acciderunt, ex quo haec pauca compendiose ac fideliter desumpta accipe. Juvenis satis, nec multum trigesimum excedens annum, ad praelaturam vocatus, prudentia, morum gravitate, ac rerum agendarum solertia, aetatis defectum largiter compensavit, meliore saeculo dignior. Oculis suis enim vidit abbatiam, villas, molendina, aedificia omnia vastata, spoliata, incendio absumpta, ac solo aequata, prae detestabili licentia inter milites sub ductu Adolphi de Ravesteyn grassante, cujus factione archidux Maximilianus arcta captivitate a Brugensibus tenebatur, a quibus in partes tracti fuerant vicini, Bruxellenses, Lovanienses, Gandavenses et alii, Antverpiensibus contra cum Mechliniensibus pro Maximiliano stantibus. Sicut omnibus sursum ac deorsum versis, coactus fuerit abbas Rolandus ac religiosi omnes, monasterio deserto, per sesqui anni spatium in tutioribus sese continere ; latronibus interea, quidquid reliqui erat, depraedantibus ac ferro igneque devastantibus.

Annis etiam 1484 et sequenti, cum Flandriae ordines Maximiliano archiduci refractarii tutelam ipsi in Philippum filium suum ex Maria ducis Caroli Audacis unigenita, ante annum 1482 miserabili fato extincta, deferre recusabant, ob similia bella intestina variis calamitatibus, oneri[fol. 30]busque vexatus est. Verum turbis tandem compositis, sarta tecta restaurando amplioribusque aedificiis, quam quae destructa erant, constructis, nullis impendiis ac laboribus parcens, veterem monasterio suo formam paulatim reddidit Rolandus, qui tandem tabificae infirmitatis attenuatus doloribus, quos acres sanguineus vomitus causabat, sponte se praelatura anno 1501 abdicavit, ac dein, totus Deo sibique vacans, plenus dierum, villicationis suae rationem redditurus supremum concessit ad judicem annn 1507, 10 kalendas julias. Scripto relinquens in diario suo ante memorato, se aegre admodum in resignationem suam consensisse, quod ob praeteritorum calamitates vix ullus relictus esset de gremio chori diligemensis ad onus praelaturae idoneus, unde graviter animo angebatur : " Considerans, inquit, statum religioso-

---

prémontrés des circaries belges. En 1571, la province brabançonne y fonda un collège pour servir d'habitation à ses chanoines ". Pl. Lefèvre, *L'abbaye norbertine d'Averbode pendant l'époque moderne (1591-1797)*, p. 171. Louvain, 1924. *(Recueil de travaux publiés par les membres des conférences d'histoire et de philologie*, 2[e] série, 4[e] fascicule).

rum nostrorum esse modicum, quia multi viri industrii et boni religiosi ex hoc saeculo decesserunt, qui si vixissent, potuissent praefuisse et profuisse monasterio, et hoc ipsum rexisse ".

Interim ejusdem moderationis tempore abs invida nullique parcente morte ex mundo sublati sunt sequentes :

Anno 1481, R. D. Gaugericus Van Oirtgate, canonicus. Vir mortificatione sui conspicuus, charitate erga pauperes, quos larga stipe juvabat, insignis, unde septemdecim annis in Jette boni pastoris munus sedulo explevit.

Anno 1482, R. D. Jacobus Trabekier, canonicus et annis decem et octo in Leeuwis super Teneram pastor.

Eodem anno, R. D. Hilduardus, canonicus.

Anno 1484, R. D. Jacobus Vanderpoorten, canonicus et pastor biennalis de Wolverthem.

Anno 1485, R. D. Joannes Vander Eycken, frater R. A. D. Joannis, 30^{mi} hujus monasterii abbatis, canonicus.

Anno 1486, R. D. Petrus Sculteh, canonicus, subprior ; vir conversatione placidus omnibusque charus.

Anno 1488, R. D. Joannis Mannu, canonicus.

Anno 1489, R. D. Jacobus de Porta, canonicus et per lustrum pastor in Wolverthem, vir exemplaris.

Anno 1491, R. D. Blasius Van Dael, canonicus.

Anno 1495, R. D. Wilhelmus Bock, canonicus.

Anno 1498, frater Judocus Coppens, conversus, qui adolescens regnum Dei haud esse de hoc mundo edoctus, in hoc conventu conversorum elegit [fol. 31] atque assumpsit habitum, in quo humilitate, abstinentia rerumque divinarum contemplatione beatam duxit vitam.

Anno 1499, R. D. Joannes De Beer, canonicus et hujus aedis provisor, exin per sex lustra praepositus cœnobii Vallis Liliorum Mechliniae (2), qui ejusdem moniales, curae suae commissas, vitae integritate, exhortationum suavitate ad veram spiritus nobertini perfectionem ad obitum usque deduxit.

Anno 1500, saeculi decimi quarti ultimo, R. D. Carolus Lalleman, canonicus et annis decem et octo curatus de Meusegem, cujus labia semper stillarunt charitatis dulcedinem, pacem atque salutis remedia.

Eodem anno, die 10 mensis maii, R. D. Jacobus Lupus, alias de Wolf, hujus domus canonicus et pastor in Jette.

---

(2) Val-des-Lys, prévôté de norbertines, à Malines.

XXXIII. ROLANDUS SANDERS

E praeclara ac nobili stirpe municipi S. Aegidii in Wasia (1), Flandriae insigni ditione, canonicus Trunchiniensis, tum ejusdem ecclesiae parochus necnon praepositus monasterii sacrarum virginum Ordinis praemonstratensis juxta Nostram Dominam de Lede, vulgo Tusschenbeke (2), in ditione alostana ; hinc, Rolando Piquotio prae infirmitate coacto quasi et de consilio proborum virorum abdicante anno 1501, (abbas 31^{s}) praelaturam diligemensem suscepit. Hoc in fastigio positus, subdictis bonorum operum vivum se praebuit speculum, eosque non solum officii dignitate, sed et virtutum splendore praecessit. Verum vix quinquennio integro abbatia prudenter administrata, anno 1505 cessit et demum in pastoratu heembecano diem clausit extremum 22 junii 1515.

Eo regente mortales inter esse desierunt sequentes, scilicet :

Anno 1502, R. D. Joannes Vander Elst, canonicus hujus aedis et parochus in Leeuwis super Teneram ; vir eruditione celeber ac animarum cura admodum exercitatus.

Anno 1504, R. D. Ludolphus... (3) canonicus et curatus in Jette, qui munus sibi demandatum infirmorum visitatione, afflictorum solamine nec non viduarum orphanorumque adjutorio egregie executus est.

Eodem praefato anno, R. D. Joannes T'Seraerts, canonicus et subprior.

Anno 1505, R. D. Joannes Danys, hujus domus canonicus et quadrienno praepositus monasterii Vallis Liliorum Mechliniae, munere suo ibidem sedule functus.

[Fol. 32] XXXIV. PETRUS VAN DEN ZIJPE

Ex perantiqua ac nobili apud Belgas familia ex qua plurimi toga et sago viri illustres prodierunt. Canonicus grimbergensis, ob vicinitatem curae Wemelensis (1), in qua pastorem supra viginti annos agebat, diligemensibus notissimus, eosdem abdicante praedecessore Rolando Sandero, in sui electionem suavi vitae inculpatae odore pellexit anno 1506. Hic, divino quodam beneficio, misero dilige-

---

(1) Saint-Gilles,Waes, commune dans l'arr. de Saint-Nicolas, chef-lieu de c.

(2) Tusschenbeek, prévôté de Norbertines, à Lede, commune dans l'arr. et le c. d'Alost.

(3) Le nom de famille est omis dans le manuscrit.

(1) Wemmel, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Wolverthem.

mensis ecclesiae statui reservatus, tanta sagacitate, prudentia atque œconomia eamdem administravit, ut sex annorum tempore quo rexit, collapsa seu antiquata omnia pristino nitori restituerit, plura facturus, ni illum invida parca rapuisset aprilis die penultima anni 1515 (2). Conditus in choro ecclesiae suae sub ingenti sarcopagho *(sic)*, cui idea abbatis insculpta cum pedo et habitu sacerdotali, ubi tabula eleganter picta, B. Mariae Virginis annuntiationem exhibens et ad parietem appensa olim extitit cum versiculis sequentibus :

Funereae casu prostratus et ulcere mortis
Zypius hic Petrus conditus ecce jacet.
Conditus ecce jacet, qui petrae relligionis
Scemate canonicos consolidare tulit.
Ordinis albifici Grimbergis jura professus,
Wemmelia placidus pastor in aede fuit.
At fulgens meritis, doctrinae nomine, vita,
Huc fuit abbatis ductus adire jugum.
Claustralem hanc renovans devoto examine formam,
Disciplinatum fecit adire chorum.
Subjectos refovens, compenscens atque molestos,
Perstitit officio pervigil usque suo.
Sex tandem peragans abbas feliciter annos,
Claustrali specie sicuti vixit, obit.
Oremus Petro det cœlica prœmia Christus,
Quem commendavit relligionis honos.

Illo monasterii sui clavum tenente, homines lucemque reliquerunt :

Anno 1506, R. D. Hieronymus Vandenkerckhoven, canonicus

[Fol. 33] Eodem anno, R. D. Joannes Caprick, canonicus.

Anno 1508, R. D. Thomas... (3), canonicus et prior ; vir discretus et disciplinae tenax, omnibus utilis, ast sibi soli inutilis visus.

Anno 1509, R. D. Ludolphus, canonicus et subprior.

Eodem praefato anno, R. D. Joannes Vanden Bergen, canonicus et pastor triennalis de Wolverthem, qui forman gregis sui factus, cum verbis tum factis arctam cœli semitam indefesso pede decurrere docuit.

Eodem anno, R. D. Balthazar Kremmer, canonicus.

---

(2) L'auteur du nécrologe se trompe au sujet de la date de mort de l'abbé Pierre Vanden Zype. C'est en 1512 qu'il trépassa ; son successeur, en effet, fut élu prélat cette année.

(3) L'auteur du nécrologe a omis le nom de famille.

Anno 1510, die 13 octobris, R. D. Henricus Arnoldi, canonicus et pastor in Meusegem.

Eodem anno, R. D. Gaspar Willems, canonicus.

Anno 1511, R. D. Petrus Van Horick, canonicus, vir humilis.

XXXV. CORNELIUS GOES

Seu Vander Goes, vir praestantissimus, illustri familia prognatus, sed multo illustrior virtutibus verum ecclesiae praesulem decentibus, canonicus ecclesiae Middelburgensis (1), Zelandiae metropolis. E vivis sublato Petro Zypaeo praedecessore, ad diligemense cœnobium moderandum anno 1512 (abbas ejusdem 35^{s}) assumptus. Inter alia ab illo honorifica gesta hoc eminet quod (cum hucusque diligemenses abbates infulati seu mitrati minime fuissent) bulla Clementis papae VII, Romae apud S. Petrum, anno incarnationis dominicae 1532, quarto non. octobris data, ipse jus mitrae pontificalis sibi suisque successoribus praelatus diligemensibus ab eodem pontifice impetrarit ; insuper et potestatem ordines omnes minores conferendi subditis suis novitiis canonicis, et aliis quibuscumque monasterio subjectis ; praeterea facultatem amplissimam consecrandi vestes ac vasa quaelibet sacra ; item ecclesias et altaria, easque, et illa polluta seu profanata reconciliandi ; ac plura denique alia privilegia, quibus majora quoad functiones pontificales, vix ullis abbatibus putantur concessa, si collationem ordinis subdiaconalis excipias, modo ea, ut fertur, nonnullis abbatibus sit permissa.

Interim quinto post obtenta privilegia tam peculiaria anno (1537) a matrice sua ecclesia medioburgensi in ejusdem rectorem supremum postulatus, quam mutationem gravate admodum admisit, ac non nisi invitus plane et quasi coactus Diligemio discedens, dum Medioburgum versus proficiscitur, rheda in monte diligemensi (quo pertransito am[fol. 34]plius idem monasterium apparet) subito sistere jussa, facie in Diligemium versa, in has voces erupuisse fertur : " Vale, o mea nuper ecclesia Diligem, vere florida ecclesia, dum floridos habueris rectores ". Diem supremum obiit in cœnobio suo medioburgensi, 8 augusti 1541.

Caeterum illo Diligemii sedente, e grege ipsius viam aeternitatis inierunt sequentes, non pauci, nempe :

Anno 1512, R. D. Petrus Weerde, canonicus et octennio pastor in Jette, vir in animarum salute totus.

---

(1) Abbaye norbertine de Notre-Dame de Middelbourg, située dans la ville de ce nom, chef-lieu de Zélande (Pays-Bas).

Anno 1513, R. D. Jacobus Nayere, canonicus.

Anno 1515, die 24 mensis martii, Reverendissimus Dominus Jacobus de Bassomonte, abbas praemonstratensis, sacrae theologiae doctor ac supremus totius Ordinis praeses, una cum abbate Braniensi (2) ecclesiam nostram visitans, post habitam in loco capitulari de more exhortationem, in publico concessu candide professus est se in ecclesia diligemensi nihil correctione dignum audivisse vel vidisse ; fratres dein exhortatus ut in laudabili disciplina regularis observantiae pergerent, nomen ac famam, non in hoc tantum saeculo sed in futuro etiam amplificaturi.

Anno 1517, lumina morte clausit fr. Joannes Van Eeckhout, conversus, qui vitam continuis humilitatis excercitiis supremo numini consecravit.

Die 4ª aprilis anni praefati, R. D. Joannes Beydaels, canonicus et subprior, cultor marianus qui omni in adversitate ad afflictorum hanc Consolatricem confugere solitus fuit (3).

Anno 1519, animam exhalavit R. D. Joannes Van Assche, canonicus et pastor novennalis in Wolverthem, qui boni pastoris officio strenue defunctus, ovium suorum saluti apprime etiam invigilavit, ac cujus frater monasterio nostro bonarium terrae in Asca (4) pro anniversario contulit.

Anno 1520, R. D. Joannes... (5), hujus asceterii canonicus necnon capellanus in Rossem.

Anno 1521, R. D. Henricus Van Aelst, canonicus.

Anno 1526, R. D. Henricus Van Lieven, canonicus.

Eodem anno, die 19 augusti hora decima vespertina, permagnum conventus hujus horreum, granorum manipulis refertum, una cum stabulis ac fœno igne consumpta sunt.

Anno 1532, mortis falci succubuit R. D. Nicolaus Beeckman, canonicus et curatus heembecanus. Vir verbo et opere potens, ac fructuosus [fol. 35] ovium rector.

Anno praefato, die 4 mensis decembris, mortem oppetiit R. D. Philippus Van Waelhem, canonicus, vitae integritate coruscus, qui

---

(2) Braisne-sur-Vesle, abbaye de l'Ordre de Prémontré, dans le dép. de l'Aisne (France).

(3) Nous avons retrouvé le nom de plusieurs chanoines de Dilighem, qui furent témoins lors de l'établissement d'un titre de propriété, le 11 mars 1518 (n. s.) ; ils ne sont pas incrits, pour la plupart, dans ce nécrologe ; ce sont Jean Vanden Nieuwenhuyse, Hillewaert Keekls, Philippe Vander Zype, Jacques de Wolf, Godefroid Denys. *Archives ecclésiastiques*, n° 6973.

(4) Assche, commune dans l'arr. de Bruxelles, chef-lieu de c.

(5) Le nom de famille a été omis par l'auteur.

in adversitatibus animam suam in patientia possedit et singulari constantia sua infracta posteris imitabile reliquit exemplum.

Anno 1533, obiit R. D. Gerardus Ketels, canonicus.

Anno 1535, defunctus est R. D. Petrus de Laer, hujus conventus canonicus et prior, rigidus regularis disciplinae custos qui personarum acceptionem extreme abhorruit.

Anno 1536, inter mortales esse desiit R. D. Gummarus Vanden Hove, canonicus et pastor in Jette, misericordiae operibus maxime addictus.

XXXVI. JOANNES DE TUEGELE

Canonicus diligemensis et quinquennio rector parochialis ecclesiae meusegemiensis, nec non domini de Merode, toparchae de Wolverthem, receptor, anno 1531 praedecessoris sui Cornelii Goesii coadjutor electus, eodem Medioburgum abeunte, mox abbas [36^{s}] installatus est anno 1537. Vir fuit pius vitaeque exemplaris qui sese bonorum operum prototypon exhibuit, praedicans verbo quod exequebatur opere, justitia ac charitate sibi subjectos rexit, at breviter ; attamen biennii tempore quo praefuit, religiosorum dormitorium, ambitum itidem sive locum claustri, templo adhaerentem, sacrisque supplicationibus pro circuitu destinatum, destructa hactenus et inculta industria magna restauravit. Praematura nobis morte ereptus est anno 1538, ipso dedicationis archangeli Michaelis festo die, quo a principe cœlestis exercitus, tamquam speciali mentio pro animabus justis, ut ejus labores merebantur, perduceretur in paradisum exultationis.

Anno 1537, communem humani generis sortem subiit R. D. Petrus de Blauwere, canonicus et per annum pastor jettensis ; vir mitis et humilis corde, qui impigre orare ac pro ovium salute vigilare et laborare in deliciis habuit (1).

Anno 1538, abs invida nullique parcente parca mortali e vita rapitur R. D. Joannes de Capella, hujus monasterii canonicus et prior ; vir perquam eruditus, summique consilii, nulli totius gremii secundus.

[Fol. 36] XXXVII. JOANNES DE PUTEO

Alias Vandenputte, ortu teneramundanus, canonicus professione diligemensis, hujus cœnobii abbas (37^{s}) electus anno 1538. Vir in

(1) Pierre De Blauwere est signalé dans la charte du 11 mars 1518 (n. s.) citée plus haut ; il y a le titre de sous-prieur.

omnibus praedecessori suo haud absimilis, qui, dum magna meditatur, ab inexorabili lachesi e vita eripitur die 27 maii 1540.

Sub ejusdem regimine :

Anno 1539, fatis concessit R. D. Adrianus de Pottere, canonicus.

XXXVIII. ARNOLDUS MAHIEU

Nativitate bruxellensis, canonicus diligemensis. Vir praestanti quidem animo, sed in aulam propensior. Sub Maria Hungariae regina, quae tum nomine fratris sui Caroli V caesaris Belgio praerat, paulatim oratorii ejusdem gubernatricis capellanus major fuit ejusque confessarius ; synodis diocesanae ac provinciali camera-censibus sub praesulibus Roberto Croyaco ac Maximiliano a Bergis interfuit ; dein etiam pro ecclesiastico statu Brabantiae deputatus ordinarius electus, tum a principe (cujus nominatio circa hanc temporis epocham invaluisse videtur) anno 1540 monasterii diligemensis abbas (38[s]) denominatus est (1). Demum post triginta trium annorum regimen, religiosae professionis simul et sacerdotii jubilaeo defungitur anno 1574, nonis januarii, conditus in elevata magnificaque tumba, pro mausolaeo, dum viveret, ipsi praeparato, quae succedente iconoclastrarum direptione periit.

Sub illius sat longa praefectura obierunt sequentes :

Anno 1542, die 7 septembris, R. D. Joannes Meert, canonicus.

Anno 1544, R. D. Joannes Orij, canonicus.

Eodem anno, die nativitatis Domini nostri Jesu Christi, R. D. Henricus Vander Elst, canonicus.

Anno 1546, R. D. Petrus Parijs, canonicus et annis quatuordecim pastor in Heembeka ; maerentium consolator, orphanorum pater,

---

(1) A partir de 1522, les élections abbatiales ne se firent plus en pleine liberté ; interprétant en sa faveur une bulle octroyée par le pape Léon X à Charles-Quint en 1515, le pouvoir civil délégua des commissaires pour présider aux choix des prélats lorsque le siège abbatial était vacant. Ces délégués faisaient rapport sur l'élection et proposaient à la nomination royale ceux des religieux qui avaient obtenu le plus de suffrages. La collection de ces procès-verbaux est conservée aux Archives générales du Royaume, dans les fonds suivants : *Papiers d'Etat et de l'Audience (Enquêtes ecclésiastiques), Chancellerie de Brabant, Conseil d'Etat, Conseil privé.* Pour la question de l'ingérence gouvernementale dans les élections abbatiales, nous renvoyons à l'ouvrage du Chan. Pl. Lefèvre, *op. cit.*, p. 87-91. — Au sujet de la nomination d'Arnold Mahieu, on trouvera des renseignements dans *Enq. eccl.*, reg. 892, p. 30. Nous y avons relevé le nom des chanoines participant à l'élection, certains sont omis par l'auteur du nécrologe : Philippe Van den Zijpe, Jean Beydaels, Jean Duns, Georges Brixey, Gaspard Beeckman.

laborantium sustentator nec non religionis Christi cultor minime vulgaris.

Anno 1547, denatus est R. D. Petrus Van Ruysbroeck, canonicus et per annum rector parochialis ecclesiae Heembecae inferioris ; filius Adriani et Catharinae Coppens, qui in ecclesia nostra fundarunt anniversarium, missam hebdomadalem de sancta Cruce, sabbathinam missam [fol. 37] de beata Virgine Maria in Wolverthem ac ibidem anniversarium et demum annuam pro pauperibus in Cœna Domini distributionem (2).

Anno 1550, die 9 maii, fatum subiit R. D. Henricus Imbrechts, canonicus et quondam hujus cœnobii prior ac exin annis tredecim parochialis ecclesiae jettensis rector sollicitus, jubilarius.

Anno 1551, die octava Epiphaniae Domini, R. D. Antonius Teugelle, canonicus.

Anno 1554, mortuus est R. D. Franciscus Wijts, hujus aedis canonicus et prior, claustralis disciplinae ex indefesso perfectionis studio observator, regulaeque ac Ordinis statutorum integerrimus zelator.

Eodem anno, in hoc nostro monasterio commoratus est virtutis, eruditionis regiique sanguinis Angliae praerogativa clarissimus et lux sacrae romanae Ecclesiae cardinalis Reginaldus Polus, qui a Sancta Sede Apostolica ad Caesarem Carolum V, id temporis Bruxellis degentem et ad Henricum II, Gallorum regem, delegatus venerat, quo tanti viri intercessione concordia potentissimos istos inter principes sanxciretur.

Anno 1556, mortali ex vita sublatus est R. D. Joannes Mijtens, canonicus et olim hujus conventus prior et dein per annum in Wolverthem pastor ; peccati osor, haud tamen peccatoris, quem, quamvis enormis, perquam benigne recipiebat et ad pœnitentiam serio agendam inducere satagebat (3).

Anno 1560, die 26 junii, denatus est R. D. Guilielmus Boernois, canonicus et quondam subprior.

Anno 1563, 6 kal. aprilis, ex hoc mundo ad superos abiit R. D. Joannes de Puteo, alias Vandenputte, hujus domus canonicus. Hic regularis observantiae ac virtutum fama eminens, a reverendissimo

---

(2) Ayant recueilli un certain nombre de suffrages lors de l'élection de 1540, les commissaires le signalèrent à l'attention du Souverain au cas où le nom d'Arnold Mahieu n'aurait pas été agréé. *Enq. eccl.*, n° 892, f. 30.

(3) Il recueillit quelques suffrages lors de l'élection de 1540 ; les commissaires le désignèrent en troisième lieu à la nomination gouvernementale. *Enq. eccl.*, n° 892, f. 30.

domino Jacobo de Bassamonte, totius Ordinis praefecto supremo, ad officium magistri novitiorum in archi-cœnobio praemonstratensi obeundum expetitus atque assumptus fuit ; quo munere laudabiliter admodum gesto, exin eadem pariter vigilantia ac zelo quinquennio animarum cura in Leeuwis super Teneram et demum viginti et uno annorum tempore hujus conventus prioratu perfunctus est. Obiit autem cum annis 50 in Ordine laudabiliter et pie vixisset.

Anno 1565, mortem oppetiit R. D. Adrianus Vanden Bosch, canonicus et hujus conventus prior triennalis, subditis acceptus.

Eodem anno, R. D. Nicolaus Van Droogenbroeck, canonicus.

Eodem praefato anno, R. D. Joannes Provijn, canonicus et aliquorum mensium conventus prior ; vir in conversatione suavis, moribus integer, qui [fol. 38] religiosae perfectionis trophaeum suis praetulit, et reliquo Ordinis rigori sese totum dedit.

Anno 1568, e vivis excessit R. D. Laurentius Willems, canonicus.

Anno 1570, obiit R. D. Joannes Jeughem, canonicus.

Anno 1571, moritur R. D. Franciscus Pipenpoy, canonicus.

Anno 1573, vivendi finem fecit R. D. Daniel Rijckaert, canonicus, vir pius et salutis suae haud incurius.

XXXIX. LIVINUS VAN COUDENBERGHE

Bruxellis oriundus, ex patricia coudenbergana illius oppidi familia, hujus monasterii canonicus et pastor in Meusegem (1), eo ex munere ad moderandum diligemense cœnobium anno 1574 (abbas 39^{s}) assumptus (2). Ei praefuit tempore admodum acerbo ac calamitoso, nam anno 1578, praevalente seditiosorum hominum, haereticorum nempe ac iconoclastrarum potentia, totoque fere Belgio ac ipsa civitate bruxellensi a naturali principe suo Philippo II, Hispaniarum monarcho, nec quidem obsistentibus piis catholicisque civibus, turpiter deficiente ; coactus fuit utpote vicinus continuis

(1) L'activité de Van Coudenberghe à Meuseghem fut un des motifs qui poussa les commissaires gouvernementaux à le proposer pour la prélature : " il a en peu de temps refaict et réédifié sa maison à Meuseghem, estant par faulte des œuvriers bruslée et destruite, avec tous les meubles et icelle de nouveau restauré et fourny des meubles assez honnestement pour son estat, y joinct que de par sa nature il est enclin à espaergner et estroitement tenir menage ". *Enq. eccl.* reg. 902, f. 56 v°.

(2) Cf. *Enq. eccl.*, reg. 902, f. 46-57. Certains noms de chanoines sont omis dans le nécrologe : Jean Van Kerchove, chapelain à Wolverthem, Gaspard Beeckman, curé à Neder-Heembeek, Gaspard Willems, curé à Neder-Heembeek, Arnold Rijkaert, Antoine De Pottere, chapelain à Denderleeuw.

praedorum injuriis obnoxius cum omnibus gregis sui filiis deserere monasterium (interea in speluncam latronum conversum) huc illucque, habitu etiam candido metu mortis mutato, subtractis cunctis necessariis, mendicato vel quavis vilissima opella mechanica, aliove aliquo a fortuna remedio, vitam egerrime tollerare ; donec sub annum 1585, auspiciis principis Alexandri Farnesii, Parmae ac Placentiae ducis, praecipuae ac plurimae Belgii civitates sub obedientia legitimi sui principis feliciter redierunt. Verum cuncto conventus mobiliari ablato, aedificiis dirutis, praesidiis igne absumptis, ut nec species cœnobii appareret, agris per villicorum fugam incultis et horridis, religiosis ita dispersis ut vix, unde evocandi essent, dignosceretur, vixque tandem superstitibus, quasi quidam ex incendio subtracti titiones, in debitam regularis vitae formam revocari et adunari non potuere nisi versus annum 1593, quo etiam contigit ut apud Belgii pro-reges institerint aliqui, alia religiosae vitae instituta sectantes, ut Diligemium, quasi pro derelicto habitum, ipsorum usibus permitteretur, assignanda superstitibus religiosis alicubi sustentatione competenti. Verum idem monasterium non destituit sua tum protectione ac benignitate pius cœli Conditor, nam candidae suae prolis haereditatem, jam per plura saecula Diligemii continuata [fol. 39] successione perseverantem dereliquit ; nam anno sequenti (1594) ubi prius curis pastoralibus de subjectis idoneis provisum fuit, paucis in ejusdem asceterio remanentibus, mox juniores recipi, ac velut tenellae stirpes agro diligemensi, sensim ad culturam adaptato, inferri et implantari cœpere, rigantibus senioribus ac Domino mirabiliter incrementum dante, adeo ut brevi spatio competenti religiosorum numero adgregato, regulari disciplinae per omnia factum fuerit satis. Verum ad reficiendas temporales ruinas opus fuit plurium millium florenorum quantitate, quam ex divenditis censibus ac latifundiis plurimis, inaestimabili et irreparabili damno monasterii, undequaque corroragere coactus fuit praesul Livinus, qui tandem senio confectus et jubilarius placida morte in Domino quievit, prope octogenarius ; anno salutis humanae reparatae 1603, quarto nonas augusti, in choro ecclesiae suae sub sequenti inscriptione sepultus :

Virtute et constantia,
Hic jacet sepultus
Reverendus Dominus
Dns Livinus Van Coudenberge,
Quondam hujus ecclesiae venerabilis abbas
Qui obiit 2 Augusti anno 1603.
Requiescat in pace.

Inter haec minime silentio praetereunda est venerabilium dominorum canonicorum averbodiensium ac praecipue R. A. patris Arnoldi Vanderheyden, ejusdem loci abbatis, in afflictos diligemenses singularis beneficentia, posteritatis memoriae ex debito gratitudinis consecranda, qui tres asceterii diligemensis religiosos, nempe Martinum Heckium, dein monasterii sui abbatem, Joannem Van Boeteren et Joannem Mesantium, collatis iisdem totidem pastoralibus curis, liberalissime foverunt ac sustentarunt.

Caeterum sub praesulis Livini moderatione mortalitatis sarcinam deposuerunt sequentes, non pauci, videlicet :

Anno1574, R. D. Henricus Moeyensone, hujus conventus canonicus et novennio ejusdem prior ; vir perquam devotus ac divini amoris igne repletus, qui varia pia opuscula de passione Domini Salvatoris nostri etc. conscripsit.

[Fol. 40] Anno 1575, R. D. Judocus Van Roye, canonicus et hujus monasterii prior, exinde annis tredecim parochiae wolverthemiensis curatus, praeco facundus et verbi divini fructuosus disseminator.

Anno 1578, R. D. Cornelius Vandevelde, canonicus.

Eodem anno, R. D. Martinus Meulemans, canonicus.

Praefato anno, R. D. Petrus Vekemans, canonicus.

Anno 1583, R. D. Nicolaus Van Troostenberghe, canonicus, cultor marianus.

Eodem anno, R. D. Joannes Mesaulx, canonicus.

Anno 1586, R. D. Erasmus Callebaut, canonicus.

Eodem anno, R. D. Joannes de Prince, canonicus.

Anno 1587, aprilis die vigesima quarta, mortis falci succubuit R. D. Joannes Roelants, canonicus et triennalis custos vigilantissimus, exin per biennium pastor in Jette (3).

Eodem anno, die 20 mensis praefati, morte lumina clausit R. D. Gerardus de Smet, canonicus et hujus cœnobii prior, simplicitatis amator, ast duplicitatis osor, ut et suspicionis judiciique temerarii ; vir lectioni spirituali mire affectus, in eaque diurnus et nocturnus (4).

Anno 1590, die sexto idus augusti, fati diem supremum obiit R. D. Joannes Mesans, canonicus. Hic everso ab haereticis diligemensi monasterio suo, ad averbodiense confugit, ubi receptus ab amplissimo

---

(3) L'auteur fait erreur en donnant 1587 comme date de la mort de Jean Roelants : il participa, en 1603, à l'élection de Martin Heckius. *Enq. eccl.*, reg. 919, f. 205 v°.

(4) Gérard De Smet, de même, vivait encore en 1603. Enq. eccl., reg. 919, f. 205.

ejusdem loci abbate, anno 1588, pastoratui de Cosen [5], in Campinia brabantica, praefectus est, cujus ecclesiae oves ad obitum usque miro fovit affatu atque affectu rexit.

Anno 1592, inter mortales esse desiit R. D. Henricus Vandenbossche, canonicus et triennio chori diligemensis cantor insignis, exinde septem annis et decem parochialis ecclesiae heembecanae rector. Vir eruditus et eloquens, qui turbulentis temporibus, habitu ad tempus pia fraude mutato, clam dispersis graegis sui ovibus omni pastor alium munerum genere subvenit.

Anno 1593, die octava Assumptionis beatae Mariae Virginis, ab inexorabili parca e mundo rapitur R. D. Joannes Sols, hujus domus canonicus et annis duodeviginti ejusdem subprior, dein pastor in Heembeka superiori et exin sexennio nativi sui conventus prior. Vir venerabilis, corde purus ac rectus, moribus gravis ac modestus, in conversatione suavis, silentii tenax, jejunii cultor et cellae amator, et familiaritatis cum personis saeculi osor, etc. [6].

Anno 1593, die octava Nativitatis beatae Virginis Deiparae, vitae suae cursum finivit R. D. Joannes de Mesmaeker, hujus asceterii canonicus et annis vi[fol. 41]ginti et quator ejusdem cellarius, morum probitate et litterarum scientia clarus. Hic morbo contagioso vigente, Bruxellas ad monasterium nigrarum sororum, infirmis inservientium, translatus ibidem extinguitur ; conditus in parochialis ecclesiae sancti Gaugerici cœmiterio [7].

Anno 1595, die 24 mensis octobris, communem mortis legem subiit R. D. Joannes Vanden Bosch, canonicus et quondam septennio hujus conventus subprior, exinde pastor triennalis in Meuseghem et demum lustro curatus parochiae Leeuwensis super Teneram.

Anno 1601, die festo sanctae Elisabethae viduae, vitae suae metam finivit R. D. Joannes Wassenhoven, canonicus et olim hujus domus provisor, et dein in Meuseghem pastor.

XL. MARTINUS HECKIUS

Seu Vandenhecke, ex Tessenderloo [1], Campinae brabanticae pago, religiosa autem professione canonicus diligemensis. Hic everso per haereticos monasterio suo (de qua desolatione jam actum in praedecessoris sui elogio) primum ab anno 1586, die 15 novembris,

---

(5) Commune dans l'arr. de Hasselt, c. de Saint-Trond.

(6) Jean Sols vivait encore lors de l'élection de l'abbé Martin Heckius en 1603. *Enq. eccl.*, reg. 919, f. 205 v°.

(7) Jean de Mesmaeker participa à l'élection de 1603. *Ibid.*

(1) Commune de l'arr. de Hasselt, c. de Beeringen.

pastor in Coersel (2) sub abbatia averbodiensi, post septennium inde per haereticos injuriose extractus et gravi captivitate verberibusque afflictus, aliisque calamitatibus perpessis, fidelium animarum lucrandarum causa, dum sese ovibus suis pastor bonus servarat ; anno 1593, rebus diligemensibus aliquantulum compositis, redditaque patriae tranquillitate, ad suos reversus eodem anno ; post laudabilia admodum in Wolverthem munia pastoralia per annos plures gesta, ac paucis ante praedecessoris obitum mensibus, per competentes ab Ordine delegatos superiores, ab iisdem monasterii deligemensis sibi commissam universalem et independentem administrationem expletam, defuncto praedecessore, una voce ac spiritu, seu totius communitatis suffragiis, abbas 40^{s} electus est anno 1603, annuente serenissimo archiduce Alberto, Belgarum principe (3). Vir hic inculpatae vitae integrisque moribus ac domui suae bene praepositus, ecclesia sua, aere alieno graviter oppressa, œconomica industria ac parcimonia primum liberata, aedificio cum spirituali tum temporali restaurando dein intentus, magnam sui apud magnates, ecclesiasticos potissimum, conciliavit famam cum auctoritate ac veneratione conjunctam ; ipse enim illustrissimus antistes mechliniensis Matthias Hovius, acerrimi judicii vir, familiarissime praesule Heckio utebatur, ejus in consiliis ac sententiis dicendis subtilitatem gravitatemque summopere admiratus ; [fol. 42] acutissimo siquidem ingenio, experientia rerum magistra, longo annorum usu conquisita accedebat, honore insuper coram subditis religiosis vere praelatus, timore coram Deo, pedibus illorum humillime substratus fuit et disciplinae regularis vindex severissimus ac primus observator, caeteris in exemplum. Saepius etiam in choro ecclesiae tumbae cimentatae, qua recondi volebat, mediae noctis silentio visus prono corpore prostratus incumbere, vir grandaevus et obesus, ibidem duabus nonnumquam continuatis horis, redemptionis humanae sacramenta ac novissimorum memoriam non sine lacrymis recolendo. Tandem post exactos in abbatiali dignitate, magno conventus bono, annos omnino viginti, ac tum regularis professionis tum presbyterii jubilaeo cum pietate incredibili ac solemnibus caeremoniis celebrato, inter adstantium fratrum preces ac suspiria, ingenti sui relicto desiderio, animam Creatori suo reddidit die 6 novembris 1623, aetatis suae anno 78, professionis 55, sacerdotii 53.

Sub cujus administratione :

---

(2) Coursel, commune dans l'arr. de Hasselt, c. de Beeringen.

(3) Cf. *Enq. eccl.*, reg. 919, f. 202-215. Martin Heckius obtint 8 premières voix et 7 secondes.

Anno 1609, mortis jaculo confossus vivere desiit R. D. Theodorus Vandermeer, canonicus et sexennio pastor in Leeuwis super Teneram, qui oves sibi commissas verbo divino egregie pavit et munere pastorali sollicite functus est.

Anno 1612, obiit R. D. Petrus de Wayere, canonicus.

Anno 1614, fatis concessit R. D. Joannes Timmermans, canonicus et hujus conventus prior, vir virtutibus coruscus et laude dignus (4).

Anno 1614, die 15 decembris, moritur fr. Ludovicus Moënsoen, acolythus et uno anno professus, juvenis studiis addictus.

Anno 1615, die 12 mensis decembris, viam universi generis humani ingressus est R. D. Joannes Van Boeteren hujus cœnobii canonicus, qui solo aequata abbatia diligemensi, ad averbodienses sese recepit, ubi ab ejusdem asceterii praesule, anno 1588, animarum cura de Enthout (5), in Campinia brabantica, donatus ; munus id novennio fructuose obivit ; quod cessantibus calamitatibus, anno 1597, ad ejusdem abbatis manus reposuit, inde ad proprium domicilium reversus, pastor Heembecae inferioris demum constitutus, parochiam hanc annis tredecim laudabiliter etiam rexit.

Anno 1623, die 26 mensis augusti, quod statutum est humano generi debitum solvit R. D. Paulus De Wees, hujus monasterii canonicus, statura licet exiguus, religione tamen inclytus.

[Fol. 43] XLI. JOANNES BAPTISTA DE HASELER

Bruxellis honestissimis et avitae fidei tenacissimis parentibus ortus, Diligemii candido habitu, die 25 maii 1597, indutus ; anno proxime sequenti, die 25 junii supremo numini, emissis solemnibus votis sese consecravit. Vir hic conventus sui provisor primum constitutus, munus sibi impositum per quatuor lustra fidelissime administravit ; exin parochialis ecclesiae jettensis sedulus pastor existens, a serenissima Belgii principe Isabella Clara Eugenia diligemensis praelaturae dignitate (abbas 41^{s}) dato diplomate nominationis anno 1623, die 10^{a} decembris, aetatis agens annum 43^{m} ; cohonestatus est, omnium applausu, gaudentibus universis, eum sibi ab optimo principe praesulem dari, quem votis omnibus boni omnes exoptarant ;

(4) Jean Timmermans fut curé à Jette. Lors de l'élection abbatiale de 1574, il recueillit 4 premières voix, 6 secondes et 2 troisièmes. Les commissaires gouvernementaux le proposèrent en second lieu à la nomination princière, considérant qu'il était " bon religieux, de bonne conversation et conduite, et ayant bien et loyalement gouverné sa cure et maison, assez letteré et bien preschant la parolle de Dieu ". *Enq. eccl.*, reg. 902, f. 56.

(5) Eynthout, commune de l'arr. de Turnhout, c. de Westerloo.

benedictione ac mitri honore accepto anno sequenti, die 21 januarii, beatae Agneti virgini ac martyri sacro. Vix biennio exinde transacto per praesules, ecclesiasticum Brabantiae Statum representantes, electus est in ordinarium Brabantiae ordinum accessorem, quotidianis provinciae negotiis expediendis continue praepositum. Porro vir hic ea dignitate, summa omnium consensione ac laude, qua erat judicii subtilitate ingeniique acrimonia pollens, annis duodeviginti perfunctus est, optimis consiliis, afflictis patriae rebus per continua bellorum incendia, noctes diesque sedulo insudando, interim tum spirituali tum temporali familiae suae regimini indefesse intentus, quod et religiosorum incredibilis, tum in pietatis ac disciplinae regularis, quam litterarum studiorumque exercitiis profectus, ornamentorum ad sacra ministeria inservientium cumulus, fundatio Vrisiotassiana, de qua infra, Tabula (bethleemitica Christi incunabula repraesentans et a Theodoro Venlonio (1) pictore nominatissimo egregie depicta), anno 1623, in summo ecclesiae suae altari posita, et, anno 1632, organa musica speciosae magnitudinis in eadem collocata, domus abbatialis aliaeque aedificatae, etc. incurrentia per se satis superque posteritati testatum reliquere.

Demum variis pro republica et grege sibi concredito mactus laboribus, nocte inter vigesimam et sequentem diem maii anno 1645, cum se prius more consueto piissime ad quietem composuisset, repertus est in strato suo, placide extenso in modum dormientis corpore, soporem praesentem aeterno commutasse, aetatis suae anni 65, professionis 47, Bruxellis in monasterii sui refugio ; unde fama pervolans universam mox civitatem ad tristissimum excivit spectaculum, nam omnis conditionis viros ac mulieres illacry[fol. 44]-masse, raro in talibus exemplo animadversum fuit, omnibus siquidem omnia factus, utpote omnium obsequio et saluti procurandae, pauperumque praesertim necessitatibus sublevandis natus esse videbatur ; nec facile explicari nequit luctus, lacrymae et maerentium subditorum suorum lamenta Diligemium advecto corpore, quod, pontificalibus indutum paramentis, 22ª ejusdem mensis solemni pompa ad pedem summi altaris sepulchro illatum fuit, addito sarcophago pridem a se praeparato, in quo praeter diem et annum obitus et aetatis, ob angustiam loci distichon, parvi epitaphii vice, adscriptum fuit sequens :

Bruxellis natus, sacra hic per vota renatus,
Viginti et binos praeclare praefuit annos.

(1) Théodore Van Loon, peintre (1629-1678).

Caeterum anno 1634, procurante potissimum et instigante praesule Haselerio, fieri voluere monasterii diligemensis non ultimi benefactores generosus nimirum dominus Antonius de Vriese-e-Tassis, toparcha de Rivieren (2), Jette, Ganhoren, etc. ejusdem clarissima conjux, domina Emerentiana de Maretz, qui considerantes per longas tristesque bellorum injurias cœnobii diligemensis facultates sic accisas, quam ut iis religiosi aliquot extra ordinem in publicis universitatibus, studiis philosophicis aut theologicis imbuendi, rite sustentari possent, ex proprio ipsis aerario, ad animarum suarum salutem ac praepotentis Dei gloriam, fundarunt redditus, quibus terni hujus cœnobii canonici in academico pulvere exercitandi, arbitrio praesulis pro tempore futuri, honeste alerentur. Exstat piorum horum fundatorum in ecclesiae diligemensis parte cruciata epitaphium, tabulae marmoreae insculptum ac parieti infixum (gratis sane semper futuris ejusdem asceterii incolis aere perennius monumentum) cura abbatis Martini Heckii positum, estque ut sequitur :

D. O. M.
Aeternae memoriae nobilis Viri Domini
D. Antonii de Vriese e Tassis
Equit. aurati,
Toparchae de Rivieren, Jette, Ganshoren, etc.,
Et illustris matronae
[Fol. 45] D. Emerentianae de Marets
Conjugis ejus,
Qui tribus hujus ecclesiae canonicis,
In studio theologico perpetuo sustentandis
Impensas, pia munificentia legarunt.
Devixit ille idis quitil. M DC XXXVIII
Haec vero anni MDCLIII die VII.
Optimis Maecenatibus,
Reverendus admodum dominus
Martinus Heckius,
Abbas Diligemensis,
Hoc debitae gratitudines monumentum
P. C.
Anno M DC XLIX
In Franciscana Bruxellis aede quiescunt
Ossa : pios manaeis heic pia vota juvent.

(2) Rivieren, dép. de Jette.

Finaliter abbatis Haselerii praefecturae tempore, vitam cum morte commutarunt sequentes, nimirum :

Anno 1624, die 12 februarii, R. D. Paulus Vervloet, canonicus et pastor heembecanus, totus in exercendis misericordiae operibus.

Eodem anno, die 18 mensis septembris, R. D. Nicolaus Vandevelde, canonicus, quondam subprior et exin curatus in Eygem (3).

Anno 1625, die sancto Francisco, Ordinis F. F. Minorum fundatori sacro, R. D. Cornelius Van Campenhout, hujus aedis canonicus et olim prior et dein a 13 junii 1624 pastor parochiae jettensis ; vir eloquens et religioni valde addictus.

Anno 1626, die festo sancti Antonii de Padua, R. D. Norbertus Vaes, canonicus et Heembecae superioris curatus ; professionis 14.

Anno 1629, die penultimo mensis aprilis, R. D. Adrianus Van Gorcum, canonicus.

Eodem hoc anno, illustrissimi domini mechliniensis archiepiscopi, Jacobi Boonen, in ecclesia nostra diligemensi instituta fuit confraternitas sub invocatione sancti Blasii, episcopi et martyris, quam dein Papa Urbanus, hujus nominis VIII, confirmavit ac privilegiis indulgentiisque ditavit.

[Fol. 46] Anno 1632, die 13 februarii, vita functus est R. D. Paulus Bruloet, canonicus.

Anno 1635, 10 mensis julii, Bruxellis peste moritur R. D. Guillielmus Cornelius Snellinc, hujus asceterii religiosus, professionis 5.

Anno 1636, die 7ª augusti, vitae cursum complevit R. D. Petrus Van Troonhoven, canonicus quondam subprior necnon Heembecae superioris curatus, professionis 39.

Anno 1637, die Purificationis beatae Virginis Mariae, viam universae carnis ingressus est, R. D. Bartholomaeus Vanden Perre, canonicus, a 1616 rector parochialis ecclesiae de Meuseghem tempore sedecim annorum, qui exin heembecanam quadrennio moderatus est. Vir egregie litteratus, sacrae scripturae lectioni perquam addictus et ejusdem intelligentiae magnopere gnarus.

Anno 1637, die 21 martii, defunctus est R. D. Petrus Rasens, hujus conventus canonicus et quondam circatoris, et exinde in utraque Heembeca vice pastoris officio functus, professionis 19.

Anno 1638, 11ª die mensis septembris, diem vitae novissimum clausit R. D. Judocus de Greve, canonicus et hujus monasterii subprior, qui oves parochiae leeuwensis super Teneram regere jussus, easdem annis 29, facundus orator, uberrimo divini verbi sermone pavit, suavitate insuper ac charitate gubernavit, etc.

(3) Eyghem, dép. de Liedekerke.

XLII. MARTINUS HECKIUS

Alias Vanden Hecke, ex Coersel in brabantica Campinia (Martini Heckii conventus hujus quadragesimi abbatis pronepos) canonicus diligemensis, sacerdotali caractere insignitus, ob morum gravitatem ac regularis disciplinae zelum subprior et juvenum constitutus instructor ; propatruo e vivis sublato (ne quid carni aut sanguini datum in promotionibus suspicax cujus quam animus cogitaret) ab ejusdem successore amplissimo viro abbate Haselerio prior conventualis ordinatus est, quo in munere viginti et uno annis, magno animarum fructu, sedulus disciplinae cœnobiticae vindex et observator, laudabiliter exactis ; sic per plerosque conventualium officiorum gradus scandendo, promeritas nec ambitas infulas, tamquam virtutum adoream, adeptus est (abbas 42[s]) anno 1645 ([1]) ; solemniter installatus die sexta novembris anni subsequentis, ac proximo beati Martini [fol. 47] pontificis turonensis festo die, patroni nimirum sui, per manus illustrissimi Mechliniensium archipraesulis, Jacobi Boonen, in cœnobii sui basilica rite adornata, assistentibus praelatis parchensi ac grimbergensi, pontificalibus insignatus. Vir hic, propatruo non absimilis, pacificus, humilis atque affabilis, Deo hominibusque charus, per omnes animi nervos intendit ut familia ipsi commissa, regulari observantia ac spiritualibus efflоresceret bonis, nec iniqua temporalium praesidiorum pateretur detrimenta. Bibliothecam insigni loco posuit, novisque eam codicibus, non sine magno sumptu comparatis, instruxit, templum amplius augustiusque reddidit ac vario ornatu decoravit, refugium bruxellense pro parte, domum pastoralem de Wolverthem, villam e regione abbatiae perpulchrum aedificavit, aliasque a fundamentis instat ; anno 1662, die 17 decembris, jubilarius, vitae diem claudit novissimum, aetatis suae anno 70, professionis 50.

Eo monasterio clavum tenente, mortis falce prostrati inter vivos esse desierunt sequentes ejusdem ascetae, nempe :

Anno 1646, die 15 februarii, R. D. Matthaeus de Laport, insulensis ([2]), canonicus et annis quadraginta tribus parochiae wolverthemiensis curatus, qui gregem sibi commissum in sanctitate et justitia vivere docuit, jubilarius.

Eodem anno, die 8[a] aprilis, R. D. Albertus de Reu, canonicus et vice pastor in Leeuwis super Teneram ; professionis 14.

---

(1) Cf. *Conseil d'Etat*, n° 36. Il recueillit, lors de son élection, 12 premières voix, 9 secondes et une troisième.

(2) Lille, chef-lieu du dép. du Nord (France).

Eodem anno, die 13 januarii, R. D. Cornelius Vanderbelen, canonicus et cellarius ; professionis 12.

Eodem praefato anno, die 13 mensis novembris, R. D. Dominicus Wijgaert, canonicus et sacellanus in Wolverthem ; professionis 27.

Anno 1647, die 13 novembris, R. D. Augustinus Behaegele, aldenardensis (3) flander, canonicus et circator et exin vicepastor in Leeuwis super Teneram ; professionis 20.

Anno 1648, die decima tertia mensis novembris, R. D. Antonius Van Bemel, canonicus et quondam cellarius, tum pastor in Bavekom (4) ; professionis 48.

Eodem anno, die festo Praesentationis beatae Mariae Virginis, R. D. Martinus Van Viane, canonicus et subprior, dein, a 5 martii 1626 duodennio pastor de Jette, et exin, anno 1638, rector parochialis ecclesiae meusegemiensis, qui oves directioni suae commissas indefesso labore vigilanter admodum et sollicite moderatus est ; professionis 38.

Praefato anno, die 12 januarii, mortem subiit R. D. Adolphus de Rave [fol. 48], mechliniensis, canonicus, sacrae theologiae baccalaureus et hujus abbatiae lector, tum decennio curatus Heembecae ; primus qui secundum nova Ordinis statuta duos egit novitiatus annos ; professionis 24 (5).

Eodem anno, die 29 mensis junii, D. Ignatius Zegers, novitius.

Anno 1652, die ultima mensis januarii, ex hac lacrymarum valle egressus est R. D. Guilielmus Raessens canonicus et cellarius, deinde subprior et juniorum director, erga sancti Altaris mysterium perquam devotus ; professionis 19.

Anno praefato, die 11ª maii, mortem oppetiit R. D. Theodorus de Croy, canonicus et circator, dein in Heembeka sacellanus ; aetatis 71, professionis 48.

Anno 1653, in vigilia sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, mortalem finivit vitam, R. D. Gaspar Vignaroule, canonicus, primum curatus in Wontelgem (6), dien per tria lustra moderator parochiae leeuwensis super Teneram ; professionis 42.

Eodem anno, die 20 januarii, frater Franciscus de Clerck, conversus, professionis 34.

---

(3) Audenaerde, chef-lieu d'arr. et de c.

(4) Betecom, commune dans l'arr. de Louvain, c. d'Aerschot.

(5) Adolphe de Rave recueillit 4 premières voix, 4 secondes et 9 troisièmes lors de l'élection abbatiale de 1645. *Conseil d'Etat*, n° 36.

(6) Wondelghem, commune dans l'arr. de Gand, c. d'Evergem.

Anno 1654, 6ª mensis aprilis, frater Joannes Wijckman, jettensis, conversus, professionis 24.

Anno 1655, die festo decollationis Praecursoris Domini, e vivis excessit R. D. Franciscus Adiers canonicus et annis viginti et octo hujus monasterii provisor, apud domesticos exterosque eruditionis fama clarus : professionis 36.

Anno 1656, paenultima die martii, e vita mortali decessit R. D. Joannes Trudon, castellanus, hujus aedis canonicus, circator ac novitiorum magister, dein tempore viginti annorum pastor de Eysingen (7) prope Hallas (8) ; professionis 28.

Anno 1657, die 14 augusti, mortuus est R. D. Melchior Hazart, canonicus, juvenis insignis modestiae ac pietatis ; aetatis 27, professionis 5.

Anno 1659, die 5 januarii, frater Henricus Van Elewijck, conversus aetatis 39, professionis 18.

Anno 1660, 3ª mensis julii die, vitae cursum complevit R. D. Nicolaus Dohain, canonicus et vicepastor in Leeuwis super Teneram ; aetatis 49, professionis 27 (9).

Eodem praefato anno, die 11 augusti, inter mortales esse desiit R. D. Joannes Vermeren, filius Aegidii et Mariae de Rijcke, hujus aedis canonicus [fol. 49], dein pastor in Crusanden (10). Vir mire compassionis erga afflictos, quos consilio et auxilio juvabat. Hic, ex improviso eventu, in Schaldis fluvio prope oppidum Eenhamense (11) in Flandria submersus, ibidem in ejusdem nominis cœnobio (12) sepultus est ; professionis 45 (13).

Anno 1661, die 17 septembris, obiit frater Carolus de Voore, conversus.

Circa annum praefatum, defunctus est R. D. Joannes Booms, hujus conventus canonicus, de solo nomine notus.

Anno 1622, die 5 mensis septembris, mortalitatis sarcinam in hoc monasterio deposuit R. D. Bernardus Wijnhouts, enchusianus bata-

---

(7) Huyssingen, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de Hal.

(8) Hal, ville dans l'arr. de Bruxelles, chef-lieu de c.

(9) En 1645, il remplit la fonction de sacristain à l'abbaye. *Conseil d'Etat*, nº 36.

(10) Cruyshautem, commune dans l'arr. d'Audenaerde, chef-lieu de c.

(11) Eename, commune dans l'arr. et le c. d'Audenaerde.

(12) Abbaye d'hommes de l'Ordre de saint Benoît.

(13) Jean Vermeeren fut archiviste de l'abbaye ; en cette qualité il dressa, en 1624, l'inventaire des titres des propriétés du monastère. Ce catalogue est conservé aux A. G. R., *Archives ecclésiastiques*, nº 6962 ; il est intitulé : *" Extracten oft sommarie getrocken per me, fr. Joan. Vermeiren, uyt alle die brieven ende munimenten der possessie des goedtshuys van Dilighem "*. Ce petit registre de 77

vus [14], hujus domus canonicus necnon infirmorum magister. Hic hortum [15] ad usum infirmariae, bothanicum totum seu plantarum tam indigenarum quam exoticarum diversissimis speciebus instructissimum, ac proinde apud summos suos aevo per Europam botanicos nominatissimos, nec non variorum etiam pœtarum versibus decantum, instruxit ac egregie coluit ; fuitque vir hic, prisci candoris et virtutis, solers rariorum omnis generis ex utraque India rerum observator ac amator ; collegerat enim varii generis chonchilia, arcus et sagittas, aliaque Japonensium et Indorum arma, marina quaedam excrementa petrosa et fungosa, animalia exotica subfacta, idola aenea, quae inter alabastrinum, ab Indis cultu numinis adorata, cornu rhinocerolis cubitale, aliaque quamplurima admiratione digna. Codicem etiam magnae molis ac voluminosum seu spissum, anno 1633 confectum, cui titulus : " Herbarius continens species plantarum tum patriarum tum exoticarum ad vivum, prout nascuntur in horto infirmariae celeberrimae abbatiae diligemensis, cum indice copiosissimo". Obiit aetatis suae 74, professionis religiosae 44.

XLIII. CORNELIUS LAMBERTI

Antverpiensis, hujus aedis canonicus ; vir morum probitate ac ingenii industria praeditus, cum concive suo Norberto Godefridi (de quo infra agetur) Romam, theologicis disciplinis imbuendus, missus, studiosorum cursu laudabiliter ibidem peracto, et ad suos reversus, factusque sacrae Theologiae baccaulaureus *(sic)* formatus ; conventus sui subprior constituitur, dein pastor in Zellick [1], ubi sumptus magna pro parte subministrante abbate Martino Heckio, novam aedificavit ecclesiam, ac capellam sancti Quirini, reliquiis Roma relatis ditatam, concursu populi easdem veneraturi [fol. 50], celeberrimam abbatiae suae pro praedictis sumptibus oppignoratam reliquit. Postquam eamden parochiam annis viginti et octo zelosus rexisset, exin ad monasterii sui abbatialem dignitatem (praesul 43[s]) anno 1662 evectus [2], die 11 martii anni sequentis mitra solem-

---

pages est extrêmement précieux : il nous renseigne sur le contenu des chartes perdues de Dilighem.

(14) Enckhuizen, dans le Brabant septentrional (Pays-Bas).

(15) Au sujet de ce jardin botanique, nous renvoyons à l'ouvrage cité du R. P. De Meulemeester, ch. XII, p. 108-115. Cf. également L. Goovaerts, *op. cit., sub verbo* Wynhouts, p. 413-414.

(1) Commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d' Anderlecht.

(2) Corneille Lamberti naquit en 1606 à Anvers. La majorité des suffrages des 34 religieux formant la communauté le jour de l'élection abbatiale (4 janvier

niter insignitus est. Munere hoc condecoratus, mox cœnobii dormitorium a praedecessore inchoatum perfecit, ac refugium bruxellense novis aedificiis auxit, sacelloque domestico decoravit, dumque alia plura meditatur, mortali ex vita eripitur, jubilarius, anno 1678, mensis julii die 12ª, aetatis 72, professionis 51.

Sub cujus regimine :

Anno 1663, die 11 maii, e vita mortali exivit R. D. Gregorius Breckpot, canonicus et cantor hori, dein sacellanus in Leeuwis super Teneram ; aetatis 50, professionis 30.

Anno 1664, 26ª mensis septembris, diem clausit vitae novissimum R. D. Michael de Bossio, alias de Buese, canonicus et annis tribus et viginti ovium wolverthemiensium rector, exin annis septemdecim hujus conventus prior ; vir eruditione minime vulgari clarus ac morum integritate conspicuus ; jubilarius, aetatis 70, professionis 53 (3).

Anno 1665, 4ª die septembris, obiit secundo professionis suae mense frater Cornelius Van Mello, juvenis admodum modestus.

Anno 1666, die penultima mensis aprilis, mortem subiit R. D. Norbertus t'Serstevens, canonicus et hujus cœnobii annis quatuor et decem circator, professionis 24.

Eodem anno, die 14 maii, viam aeternitatis iniit R. D. Ambrosius Leeuwet, vir virtute ac eruditione conspicuus (ut illum appellat in sua Brabantia sacra celeberrimus historicus Antonius S a n d e r u s), canonicus ; successive hujus monasterii cellarius, circator, subprior, novitiorum magister ad sacrae Theologiae praelector ; exin ab anno 1648 quinquennio pastor in Jette, tum annis tredecim in Leeuwis

---

1663) se porta sur son nom, il recueillit 20 premières voix, 4 secondes et une troisième. Dans leur rapport (daté du 30 janvier de la même année) à l'autorité gouvernementale, les commissaires déclarent que Lamberti est très versé dans la gestion matérielle ; ils ajoutent : " il est de vie exemplaire, zéleux à l'office divin, docte en la théologie et humble en conversation, fort dextre en la œconomie, ayant donné plusieurs preuves de son industrie en l'administration de sa cure pastorale, en laquelle il l'a prœuvé et basty une nouvelle église et maison pastorale ; ayant aussi eu à la dernière provision de ladicte abbaye (lors de l'élection de son prédécesseur) eu plusieurs voix et esté choisy pour une personne des plus capables pour estre alors abbé (il obtint 11 premières voix, 8 secondes et 4 troisièmes, cf. *Conseil d'Etat*, n°36), et maintenant plusieurs des religieux jugent qu'il serait l'unique qui pourrait establir et maintenir ladicte abbaye, tant en spirituel que temporel, laquelle est de petit revenu, et en sobre estat " *Conseil d'Etat*, n° 36.

(3) Lors de l'élection abbatiale du 4 janvier 1663, il recueillit 2 premières voix, une seconde et une troisième. *Conseil d'Etat*, n°36.

super Teneram, zelosissimus animarum director et exemplar probitatis ; aetatis 52, professionis 33 (4).

Eodem praefato anno, die festo dedicationis beatae Mariae ad Nives, ex mundo ad superos, ut confidere licet, abiit R. D. Norbertus Godefridi, Antverpiensis, hujus asceterii canonicus, olim Romae R. D. Cornelii Lamberti, dein conventus diligemensis abbatis, in in studiis sacris collega, exin abbatiae sancti Bernardi ad Scaldim (5), Ordinis cisterciensis, sacrae Theologiae praelector, Lovanii in eadem facultate postmodum laurea insignitus ; pastor de Nieuw[fol. 51]-kercke in Wasia (6) constitutus est, demum de Schelle (7), quam parochiam tempore triginta et trium annorum laudabiliter admodum rexit. Vir fuit perfectus et apprime zelosus, religionis amator et gregis curae suae commissi optimus custos ; aetatis 68, professionis religiosae 39. Conditus :

Hic jacet
R. ac Eruditus D.
Norbertus Godefridi,
Cui Antverpia vitam,
Diligem canonicalem religionem,
Roma studium theologicum, Lovanium lauream,
Episcopi pastoratus donarunt,
Et Deus, ut speramus, vitam aeternam.
Obiit 5 Augusti anno 1666.
Aetatis 68, professionis 39 (8).

Anno 1667, die 12 mensis aprilis, vitam cum morte commutavit R. D. Aegidius de Witte, canonicus, ab anno 1663 pastor in Zellick, qui eruditione clarus pastoralia munia quadriennio ibidem laudabiliter adimplevit ; aetatis 43, professionis 21.

Anno 1668, 7ª die februarii, fato functus est R. D. Hieronymus Bulens, canonicus, qui primum subprioris, dein novitiorum directoris,

---

(4) Lors de l'élection abbatiale de Corneille Lamberti, il recueillit 2 premières voix, 6 secondes et 5 troisièmes. *Conseil d'Etat*, nº 36. — Au sujet de ce chanoine, nous renvoyons à la notice que lui consacre L. Goovaerts, *op. cit.*, t. II, p. 501-502, *sub verbo* Leeuwet.

(5) Lieu St.-Bernard, abbaye de Cisterciens, sise à Hemixem, commune dans l'arr. d'Anvers, c. de Boom.

(6) Nieukerken-Waes, commune dans l'arr. de St.-Nicolas, c. de St.-Gilles-Waes.

(7) Commune dans l'arr. d'Anvers, c. de Boom.

(8) Lors de l'élection abbatiale du 4 janvier 1663, il recueillit 2 secondes voix et 5 troisièmes. *Conseil d'Etat*, nº36.

demum viginti et uno annis pastoris in Wolverthem muniis functus est ; aetatis 56, professionis 35 (9).

Anno 1669, die festo sancti Matthiae apostoli, e vivis ereptus est R. D. Michael Rassens, canonicus et in Wolverthem sacellanus ; aetatis 39, religiosae professionis 18.

Eodem anno, 3 mensis martii, mortis jaculo confossus obiit R. D. Joannes Haseler, canonicus et sacrae Theologiae praelector, dein per duo lustra curator animarum in Jette ; vir vitae probitate, consilio prudenti ac instruendi industria coruscus ; aetatis 57, professionis 36.

Praefato anno, die 11 julii, peste moritur R. D. Judocus Raessens, canonicus et vicepastor in Wolverthem, ubi sepultus, aetatis 39, professionis religiosae 16.

Eodem anno, die 1ª septembris, vitae cursum complevit R. D. Blasius Cuveliers, canonicus, successive hujus monasterii circator, octennio [fol. 52] subprior, novitiorumque magister, exin anno 1661 curatus de Meusegem ; vir apprime litteratus, peste ibidem infectus ac conditus ; aetatis 50, professionis 28.

Eodem praefato anno, in vigilia sancti Thomae apostoli, mortali e vita raptus est R. D. Philippus Vanderveken, canonicus et deservitor parochiae wolverthemiensis, ubi, dum zelose admodum peste infectis inservit, eadem contagione arreptus, extinguitur et sepelitur ; aetatis 35, professionis 13.

Anno 1670, die 17 julii, inter mortales esse desiit R. D. Gerardus Vrancx, hujus aedis canonicus, sacrae Theologiae baccalaureus et subprior ; exin anno 1648 pastor in Jette, et sequenti in Meuseghem, qui munia pastoralia eximia chariate, peste infectis diu noctuque, spreto mortis metu etiam inserviendo, intrepide obivit ; jubilarius, catharro obrutus, aetatis 70, professionis 50 (10).

Eodem anno, die 16 februarii, mortem subiit R. D. Jacobus Vander Gucht, canonicus et cellarius, dein biennio hujus domus provisor, demum rector ovium parochiae jettensis, pestiferorum etiam inservitor, aetatis 49, professionis 28.

Eodem praefato anno, die 11 mensis septembris, vitam mortalem deseruit R. D. Petrus Slotmans, canonicus et cellarius ; dein vice-

---

(9) Il naquit à Bruxelles en 1612. Il recueillit 2 premières voix, 9 secondes et 11 troisièmes lors de l'élection de Corneille Lamberti. Les commissaires le proposèrent en troisième lieu à la nomination des souverains, ils le disent " d'une conversation agréable, bien pieux et suffisamment docte ". *Conseil d'Etat*, nº 36.

(10) En 1645, lors de l'élection abbatiale de Martin Heckius, Gérard Vrancx était vicaire à Heembeek. *Conseil d'Etat*, nº36.

pastor in Cruybeke ([11]), tum pastor in Vremde ([12]) ; vir erga oves, directioni suae commissas, eximiae caritatis, a quibus vicissim cognitus, summo etiam honore simul et amore prosequutus fuit ; jubilarius et totius gremii senior ; aetatis 86, professionis 60.

Anno 1676, die Assumptionis beatae Mariae Virginis, homines lucemque reliquit R. D. Petrus du Bray, canonicus ; ab anno 1653 animarum director parochiae jettensis, tredecim annorum tempore, exin ad obitum usque, Leeuwensis super Teneram, qui in utraque illi demandata cura aegris tanta subvenit charitate, ut illorum strato assidens, necessaria quaecumque ministraret et noctu apud vigilias agere in deliciis haberet, aetatis 54, professionis 35 ([13]).

Anno 1677, die 10 septembris, mortali e vita decessit R. D. Josephus Pernois, canonicus, philosophiae ac sacrae theologiae lector, exinde pastor in Heembeka, verus orphanorum pater et viduarum tutor, misericordiae operibus addictissimus ; aetatis 61, professionis 37 ([14]).

Eodem anno, 23[a] die mensis octobris, mortem subiit R. D. Joannes [fol. 53] Vanderkelen, canonicus et quondam vicepastor in utraque Heembeca, exinde circator et tandem curatus in Leeuwis super Teneram ; aetatis 59, professionis religiosae 36.

XLIV. SIARDUS HUENAERTS

Asceterii diligemensis canonicus et sacrae Theologiae baccalaureus, ex pastore decennali in Wolverthem, cœnobio suo abbas (44[s]) datur anno 1678 ([1]). Vir hic animi candore, morum probitate agen-

---

(11) Commune dans l'arr. de St.-Nicolas, c. de Tamise.

(12) Commune dans l'arr. d'Anvers, c. de Contich.

(13) Lors de l'élection abbatiale du 4 janvier 1663, il recueillit 2 premières voix, 2 secondes et 5 troisièmes. *Conseil d'Etat*, n° 36.

(14) En 1645, lors de l'élection abbatiale de Martin Heckius, Joseph Pernois était second sacristain. *Conseil d'Etat*. n° 36.

(1) Lors de l'élection de 1663, Huenaerts recueillit 5 premières voix, 4 secondes et 1 troisième. Les commissaires lui donnèrent la seconde place dans leurs propositions, disant qu'il était " vertueux et fort docte en théologie, et d'un grand jugement pour surpasser toutes difficultez qui se pourroyent présenter en l'administration de la prélature, et ayant esté quelques années maître d'hostel de la dicte abbaye, y ayant fait paroistre sa prudence en l'administration temporelle ". En 1678, son nom rallia 17 premières voix, 8 secondes et 2 troisièmes. Les délégués gouvernementaux justifient ainsi le choix de leur candidat : " il est très dévot, très aimable et très docte religieux, et il a esté prieur dudit monastère, où il a enseigné la sainte théologie et philosophie en qualité de lecteur avec applaudissement de tous ". *Conseil d'Etat*, n° 36.

dique dexteritate excellens, et suis et exteris etiam primae notae percharus, ingenii vivacitatem animique benevolentiam vultus majestate et specie exprimens, suorum animos expectatione praeclara non tantum exhilaravit, sed et eos etiam, haud quamquam acerbe nec austere, sed mansuetudine rexit. Dignius autem cœlo quam mundo, in aetatis flore mortali e vita rapitur die 25 aprilis 1680 ; praelaturae suae anno secundo, aetatis 52, professionis 31.

Quo regente :

Anno 1678, die 20 octobris, mortis iter iniit R. D. Petrus Servatii, canonicus, aetatis 26, professionis 5 (2).

Eodem anno, die 18 decembris, in hoc monasterio vitam cum morte commutavit R. D. Judocus t'Kint, canonicus, qui dum in conventu suo cellarium, dein in utraque Heembeca vice pastorem, tum in Leeuwis super Teneram deservitorem et demum domi pastorem loci ageret ; zelosus et obsequiosus fuit in administrandis sacramentis, visitandis ac consolandis aegrotis, ac adjuvandis etiam ex peste et dysenteria morientibus ; aetatis 63, professionis 43, sacerdotii 38 (3).

Anno 1679, die ultima mensis octobris, defunctus est R. D. Joannes Chrysostomus Van Gallebaer, hujus aedis asceta, otii osor, qui alios ad occupationem et laborem honestum etiam suo excitavit exemplo ; professionis 28 (4).

XLV. FRANCISCUS KERREMANS

Bruxellensis, canonicus diligemensis ; hic primum subprior, tum novitiorum directoris munere functus, parochialem ecclesiam de Wolverthem dein rexit, et, defuncto amplissimo domino Siardo Huenartio, huic in abbatiae regimine (praesul 45ª) surrogatus est anno 1680, junii die 26ª (1).

Vir fuit sibi parcus, ast in communitatem valde beneficus, sub quo studium revixit et quotidianis succrevit incrementis. Regulae

---

(2) Il naquit à Bruxelles. *Conseil d'Etat*, nº 36.

(3) *Ibid.*

(4) Il naquit à Sterrebeek (commune dans l'arr. de Bruxelles, c. de St.Josse-ten-Noode). — Lors de l'élection de 1678, il remplissait les fonctions de sacristain. *Conseil d'Etat*, nº 36.

(1) En 1678, lors de l'élection de Huenaerts, il recueillit 1 premier suffrage, 1 second et 1 troisième. A l'élection de 1680, Kerremans fut proposé à la troisième place par les commissaires, son nom n'ayant rallié qu'une première voix, 9 secondes et 6 troisièmes. Nous ignorons les causes pour lesquelles il fut préféré à Jean Van Antwerpen et Augustin Daems par l'autorité civile.

et statutorum [fol. 54] Ordinis rigidus etiam observator, aliis exemplum, pudebatque non insequi abbatem graviter praeeuntem. Judex fuit synodalis nec non Brabantiae statuum accessor ordinarius. Caeterum aedificandae domus Dei lapidibus, peccunia aliisque necessariis congregando occupatus, subitanea morte e vivis eripitur die 5 junii 1689. Conditus in choro ecclesiae suae sub sarcophago cœruleo, epitaphium sequens referente, praevie addito lemmate *Illumina*, quo utebatur.

Illumina.

Hic jacet sepultus
Reverendus Dominus
Dns Franciscus Kerremans
Hujus ecclesiae quodam venerabilis abbas,
Qui obiit anno 1689, die 5 junii,
aetatis suae 60.

Anno 1681, die 19 januarii, vitales auras reliquit R. D. Joannes Van Antwerpen, canonicus et hujus monasterii successive novitiorum magister, subprior, cellarius, sacrae theologiae baccalaureus et ejusdem scientiae praelector, et dein prior. Hic pro disciplinae regularis observatione admodum pervigil, demum anno 1670 constitutus rector parochialis ecclesiae jettensis, ejusdem oves, propria neglecta sanitate, verbo et opere ad mortem usque egregie pavit ; aetatis 52, professionis 31 (2).

Anno praefato, ultima die januarii, spiritum emisit R. D. Augustinus Daems, canonicus, sacrae theologiae baccalaureus ; quondam novitiorum director, philosophiae professor, exin duodennio hujus domus provisor ac demum in utraque Heembeka per tres annos pastor ; asthmate obrutus, aetatis 52, professionis 31 (3).

Eodem supradicto anno, die 18 mensis novembris, defunctus est R. D. Blasius Vandendaele, ex Bever (4), canonicus, aetatis 35, professionis religiosae 11.

Anno 1682, die 10 julii, vitae cursum finivit R. D. Guilielmus Coppens, hujus asceterii canonicus et pastor in Meusegem, qui gelu

(2) Lors de l'élection de 1663, il recueillit 1 première voix et 4 troisièmes ; en 1678, 5 premières, 6 secondes et 5 troisièmes ; en 1680, enfin, 20 premières et 4 secondes, ralliant une forte majorité de la communauté ; François Kerremans lui fut préféré néanmoins. Il est " très dévot, très modeste et fort docte ". *Conseil d'Etat*, n° 36.

(3) Daems recueillit 5 premières, 7 secondes et 3 troisièmes en 1680. *Conseil d'Etat*, n° 36.

(4) Est-ce Beveren-lez-Audenarde ou Beveren-Waes ?

et aestum pro gregis sui salute die ac nocte sprevit, aetatis 57, professionis 32 ([5]).

Anno 1683, festo sancti Bartholomaei apostoli, im pulverem reversus est R. D. Aegidius Van Hove, canonicus et, ab anno 1682, pastor in Jette, a co[fol. 55]mite jettensi beneficio in capella sanctae Annae, ejusdem parochiae, donatus ; aetatis 35, professionis 11 ([6]).

Anno 1684, die 18 julii, vitam mortalem reliquit R. D. Franciscus Cool, Bruxellensis, hujus cœnobii canonicus ; qui post regimen triennale pastoratus in Zellick domum reversus, ecclesiae jettensi praefectus est anno 1684, ubi dum uberem in vinea Domini facere cœpisset fructum, primo sui fervoris mense vix peracto, quatriduano acutissimae febris aestu correptus est, aetatis 43, professionis 20, sacerdotii 17.

Anno 1685, die 7 februarii, denatus est R. D. Martinus Borremans, canonicus, aetatis 64, professionis 37 ([7]).

Anno 1686, die 10 aprilis, mortem subiit R. D. Hermannus Oom, batavus ([8]), hujus asceterii canonicus, aetatis 56, professionis 28.

Anno praefato, die 21 mensis septembris, obiit frater Hubertus Vasseur, conversus, aetatis 65, professionis 32.

Anno 1687, die 3 mensis aprilis, e vivis excessit R. D. Josephus Huygens, canonicus, quondam cantor, deinde vicepastor in Wolverthem, exinde successive hujus aedis subprior et circator ; aetatis 60, professionis 38 ([9]).

Anno 1688, die ultima januarii, mundum deseruit R. D. Andreas Walravens, canonicus, et annis duodecim hujus monasterii subprior, qui ingenti cum fructu novitiorum directoris munere functus est, et demum quadriennio in utraque Heembeka vicepastoris ; tibiae putredine sublatus, aetatis 59, professionis 39 ([10]).

Anno praefato, die 9 mensis aprilis, febre exhaustus e mundo migravit R. D. Justus Buycx, canonicus et subprior, tum vicepastor in Wolverthem ; dein ab anno 1669 per novennium parochiae meusegemiensis director zelosus, exinde duobus lustris hujus monasterii

---

(5) Guillaume Coppens naquit à Bruxelles ; il fut curé d'Heembeek en 1678 avant d'exercer la même charge à Meuseghem. *Conseil d'Etat*, n° 36.

(6) Il naquit à Anvers ; il était vicaire à Wolverthem en 1680. *Ibid.*

(7) Il naquit à Bruxelles ; il était vicaire à Denderleeuw en 1678. *Ibid.*

(8) Il naquit à Dort, près de Zutphen (Pays-Bas). Dort est parfois employé comme diminutif de Dordrecht, dans la province de Zuid-Holland. *Ibid.*

(9) Il naquit à Bruxelles. *Conseil d'Etat*, n° 36.

(10) *Ibid.*

prior et novitiorum magister ac demum jettensis ecclesiae deservitor ; aetatis 71, professionis 44 ([11]).

Anno praefato etiam, mortuus est R. D. Michael Van Nuffel, bruxellensis, canonicus et capellanus in Leeuwis super Teneram ; aetatis 43, professionis religiosae 10.

XLVI. HENRICUS HUYS

Hujus cœnobii canonicus, natus Bruxellis anno 1645, assumpta sancti Norberti sacra veste et Diligemii, anno 1663, professus ac sexennio post sacerdotali caractere insignitus, Lovanium amandatur ad studia theologica ; iis [fol. 56] absolutis ac domum reversus, ad philosophiam ac sacram theologiam confratribus praelegendam constituitur ; studiis hisce vacans, anno 1681 parochialis ecclesiae deservitoris munere functus, sequenti ad parochias de Meusegem et Impden regendas non nisi invitus missus est, ubi dum pastoralibus functionibus totum sese dat indefesso labore, ad monasterii sui infulas (abbas 46[s]) anno 1689 evocatus est. Fuit in illo ecclesiastici muneris observatio, ac in regendo illi commisso grege vigilantia, etiam turbulentis ac luctuosissimis belli temporibus ; anno enim 1695 spoliatam abbatiam suam et Bruxellis refugium ejusdem per missiles Gallicorum tormentorum globos pro parte eversum, nec non anno 1718 plebis seditione, archivis plurimis igni traditis, etc. etc., itidem spoliatam vidit. Factus jure merito, anno 1707, illustrissimorum ordinum Brabantiae primi ordinis deputatus, quotidianis provinciae negotiis expediendis praepositus, in quibus ipse erat versatissimus (et iterato 1713) ; exacto regiminis anno secundo, veterem ecclesiam collabentem restituit, novam aedificavit ejusque chorum sedilibus pulcherrimis ornavit, bibliothecam picturis, libris et his recondendis forulis instruxit, refectorium emptis tabulis decoravit, hortum effecit fontibus et areolarum variegatione amœnum. Tandem annis duodecim integris deputationis in magna rerum vicissitudine et injuriis temporum decursis, jam professionis et sacerdotii jubilarius, subitanea morte sublatus est, anno moderationis trigesimo secundo, saeculi 1720, mensis septembris die 12, Bruxellis in conventus sui refugio, aetatis 75, professionis 55.

Interim sub illius regimine ab inexorabili parca mortali ex vita rapti sunt sequentes :

---

(11) Il naquit à Diest (ville dans l'arr. de Louvain, chef-lieu de c.). Il recueillit une première voix, 2 secondes et 11 troisièmes à l'élection abbatiale de 1678 ; les commissaires le disent bon religieux et excellent économe. *Conseil d'Etat*, n° 36.

Anno 1690, die ultima januarii, maligna febre vexatus, R. D. Nicolaus Moons, anderlacensis (1), hujus domus canonicus, circator et juniorum director, qui se totum impendit ut sibi commissos pietate ac moribus statui convenientibus informaret ; demum ecclesiae jettensis regimini praefectus, eamdem ad obitum usque cum laude rexit, aetatis 56, professionis 23.

Eodem anno, die ultima mensis decembris, frater Joannes Van Arenbergh, conversus, in infirmorum ministerio obsequiosissimus et in excitandis fratribus vigilantissimus ; aetatis 32, professionis 9.

Anno 1692, 22 mensis decembris, frater Trudo Vandenwinckel, conversus, aetatis 67, professionis 32.

Anno 1693, die 3 septembris, R. D. Cornelius Vandermuyden, Bruxellensis, canonicus et vice-curatus in utraque Heembeka, aeta-[fol. 57]tis 37, professionis 17.

Anno 1694, die ultima mensis januarii, fati diem supremum obiit R. D. Macarius Paindevain, ex Born (2), canonicus et zelosus juniorum magister, vir magnae expectationis, qui officio suo non minori prudentiae ac discretionis quam integritatis laude perfunctus est ; erat enim fide, animi candore atque simplicitate spectabilis, necnon pietate ac ardenti pro regulari disciplina zelo perquam commendabilis ; aetatis 33, professionis 10.

Eodem anno, die 15 junii, viam aeternitatis iniit R. D. Gilbertus Kuver, antverpiensis, canonicus et undennio rector parochiae Leeuwensis super Teneram, animarum saluti vacator inpertaesus, et in concionibus peccati horroris ac damni hominumque novissimorum saepe saepius populo annuntiator ; aetatis 38, professionis 17.

Anno praefato, die festo sancti Laurentii martyris, vitam cum morte commutavit in hoc conventu, R. D. Ferdinandus Stalijns, aldenardensis flander, canonicus, cujus inter caeteras virtutes virtus sobrietatis enituit, dum a vino et omni quod inebriare potest abstinens (rara avis) simplici aqua vitam sustentavit. Vir specialis humilitatis, ob quam constanter jubilaei celebrationem recusavit, aetatis 89, professionis religiosae 67, sacerdotii 64.

Anno 1699, die 12 decembris, moritur R. D. Norbertus Van Bouchout, bruxellensis, canonicus et cellarius, exinde novemdecim annorum spatio hujus domus provisor exactissimus ; aetatis 67, professionis 33.

---

(1) Anderlecht, commune dans l'arr. de Bruxelles, chef-lieu de c.
(2) Commune dans la province de Limbourg hollandais.

Anno 1700, denatus est R. D. Ambrosius Horeman, canonicus jubilarius, aetatis 72, professionis 51 (3).

Eodem anno, die 11 martii, mundum deseruit R. D. Fredericus Mercier, canonicus, quondam deservitor in Cobbegem (4) et Bollebeeck (5), dein successive pastor in Zellick, quadriennio in Leeuwis super Teneram, in Jette et demum novemdecim annis in utraque Heembeka, quas parochias prudenter et laudabiliter rexit ; aetatis 68, professionis 46 (6).

Anno praefato, in festo Apparitionis sancti Michaelis, angelorum principis, mortis jaculo confossus obiit R. D. Godefridus Heckius, canonicus, qui circatoris ac provisoris officiis vigilanti sollicitudine domi perfunctus, vicepastoris etiam munus in Wolverthem et Rossem annis pluribus, idque usque ad obitum laudabiliter obivit, aetatis 66, professionis religiosae 45, unctionis sacerdotalis 42 (7).

[Fol. 58] Eodem praefato anno, duram mortis legem subiit R. D. Godefridus Vandenbossche, campinas, canonicus et per quatuor lustra vice pastor in Wolverthem, aetatis 66, professionis 44.

Anno 1705, die 8 februarii, mortalis suae vitae cursum complevit R. D. Franciscus Geldens, brugensis flander (8), canonicus et quadriennio parochiae meusegemiensis, exin anno 1689 ejusdem pastor ; qui ibidem ignorantes rite instruxit, in dubiis consiliis rectis adjuvit, incautos a lapsu ulteriori servavit, deviosque ad rectam salutis viam reduxit, aetatis 47, professionis 27.

Anno 1706, die 12 mensis aprilis, mortem oppetiit R. D. Augustinus de Blaer, bruxellensis, canonicus et vicepastor in utraque Heembeka, exin anno 1692 rector parochialis ecclesiae jettensis ; aetatis 53, professionis religiosae 33.

Anno 1707, die 26 martii, e mundo sublatus est R. D. Nicasius du Bray, bruxellensis, canonicus, qui in hoc conventu subprioris, cellarii, provisoris et prioris officiis perfunctus ; cum infirmitate ac senio debilitaretur, ab omni munere liberari postulavit, aetatis 71, professionis 42, sacerdotii 40.

Anno 1709, 16 mensis octobris, diem vitae novissimum clausit R. D. Martinus Verroten, bruxellensis, canonicus ; vir in rebus theo-

---

(3) Il naquit à Bruxelles ; il était chapelain à Denderleeuw en 1678. *Conseil d'Etat*, n° 36.

(4) Cobbeghem, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Assche.

(5) Bollebeek, dép. de Molhem, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Assche.

(6) Il naquit à Fauquemont, dans le Limbourg hollandais. *Conseil d'Etat*, n° 36.

(7) Il naquit à Malines. *Ibid.*

(8) Bruges, chef-lieu de la prov. de Flandre occidentale.

logicis et historicis versatissimus, qui et duodennio confratribus suis sacram theologiam facunde praelegit ; subito catharro oppressus, aetatis 48, professionis religiosae 26, sacerdotii 24.

Anno 1711, die 28 julii, vitae metam finivit R. D. Siardus t'Serstevens, bruxellensis, canonicus, qui in monasterio suo circatoris officio et in utraque Heembeka aliquot annis vicepastoris munere functus, demum ultra quinquennium pastor in Jette et Ganshoren muniis pastoralibus sedulus incubuit ; aetatis 52, professionis 30, sacerdotii 27.

Anno 1716, die decollationis Praecursoris Domini sacro, mortis sagitta confixus est R. D. Franciscus Huygens, bruxellensis, canonicus, qui in conventu primum cellarii officium aliquot annis, dein quadriennio vicarii munus in Leeuwis super Teneram sustinuit. Inde apoplexia tactus, et ad functiones ulterius peragendas incapax, domum vocatus est. Vir pacificus et confratrum amator, timens Deum ac in infirmitatibus patiens et constans, aetatis 56, professionis 34.

Anno 1717, in festo cathedrae sancti Petri Antiochiae, vallem hanc lachrymarum deseruit R. D. Jacobus Van Santvoort, bruxellensis, hujus [fol. 59] asceterii canonicus et annis septem et decem parochiae Wolverthemiensis curatus et ecclesiastes facundissimus et nulli secundus ; aetatis 74, religiosae professionis 53.

Anno 1718, die 5 septembris, mortali e vita decessit R. D. Petrus Bedet, canonicus, qui dum per varios annos vicarium egisset in Wolverthem et Rossem, constitutus est curatus in Meuseghem et Impdem. Hic in pascendis ovibus, quamvis infirma saepe teneretur valetudine, annis tamen tredecim illorum sese strenuum exhibuit rectorem. Vir mitis, humilis et patiens, rhetor etiam ac theologus minime vulgaris ; aetatis 57, professionis 33, sacerdotii 31.

XLVII. HENRICUS CROKAERT

Virum hunc immortalitate dignum Bruxella genuit anno 1663, die 14 kal. decembris, Bruxella item aluit, Lovanium instruxit et Diligemium assumpsit, ibi die Nativitatis beatae Mariae Virgnis sacro 1684 solemnia emisit vota. Mox Lovanium redire jussus, nondum sacerdotio initiatus, disputationes pro licentiae laurea adipiscenda absolvit ; hinc maturus habitus qui, quae grudiis in scholis hauserat, sanctorum Augustini et Thomae dogmata suis praelegeret, sacrae theologiae lector constitutus est. Amandatus ut vicarius in Leeuwas ad Teneram, et mox, anno 1700,utriusque Heembecae pastoratu

insignitus, inde tamen avulsus et votis redditus confratrum, eosdem omni gaudio replevit, dum anno 1721, die 2 januarii, praevia electione ab augustissimo imperatore Carolo VI exoriente, amplissimo domino Henrico Huysio in abbatiae regimine (praesul 47[s]) successor datus est ; et die 16 ejusdem mensis a reverendo vicario Gregorio Piera, Tongerloensi (1) abbate installatus, 26 subsequenti, in ecclesia propria ab eminentissimo principe Thoma Philippo, cardinale de Alsatia-de Boussu, Mechliniensium archiepiscopo ac totius Belgii primate, assistentibus abbatibus Grimbergensi et Bernensi (2), mitra est insignitus. Vix tanta dignitate jure merito condecoratus, prima illius cura fuit spiritualis simul et temporalis aedificii incrementum ; in choralibus etenim officiis assiduus, pius, sibi parcus et frugalis ac erga studium summopere affectus, frontispicium et ecclesiam abbatiae a praedecessore inchoatam perfecit, turrim artificiose fabrefatam imposuit, et abbatiam totam innovavit, novam in Nerom (3) magna ex parte villam extruxit, ac dein Jette ; nil interim eorum quae ad animae vitam et spirituale subditorum bonum spec[fol. 60]-tant, omittens. Ad haec in statuum Brabantiae accessorem ordinarium adlectus, patriae negotia per sexennium curavit diligentissime, patriarum rerum investigator sedulus et cultor scientissimus, pater patriae audiit et fuit. Febricula demum cattharali aut senio potius exhaustus, animam Creatori suo reddidit, anno 1744, mensis januarii die 28, aetatis 81, professionis religiosae 60, unctionis sacerdotalis 56, jubilaei 10, totius gremii senior.

Interim sub ejusdem moderatione abs invida et inexorabili parca ex hoc mundo rapti sunt sequentes hujus monasterii ascetae nempe :

Anno 1725, die 17 februarii, R. D. Siardus Fornair, bruxellensis, canonicus, sacrista, dein cantor chori, caeremoniarum divini cultus amator, qui munere suo voce canora sedulo perfunctus est ; aetatis 47, professionis 24.

Eodem anno, die 26 martii, R. D. Andreas Van Elsacker, ex Loonhoudt (4), organista, qui postquam a primordiis religionis in finem usque Deum laudasset in chordis et organo, salvatorem suum subsequutus est cum pridie hic ingrederetur in sanctam civitatem, aetatis 59, professionis 34, sacerdotii 31.

---

(1) Tongerloo, abbaye de prémontrés, dans l'arr. de Turnhout, c. de Westerloo.

(2) Berne, abbaye de prémontrés, fondée en 1134 à Heusden, près de Bois-le-Duc, transférée, en 1629, à Bernheese, sous Heeswijk (Brabant septentrional), puis à Vilvorde, ville dans l'arr. de Bruxelles, chef-lieu de c.

(3) Nerom, dép. de Wolverthem.

(4) Loenhout, commune dans l'arr. d'Anvers, c. de Brecht.

Anno 1728, die ultima julii, R. D. Jacobus Roelants, nativitate (anno 1666) Bruxellensis, professione (anno 1688) norbertinus ; vir spiritu et vultu amicabilis, moribusque placidus, sacerdotio anno 1691 initiatus pastoralibusque curis admotus, bis in Heembeka vicepastor summa vigilantia, discreta prudentia atque zelo infatigabili ovile sibi commissum pavit ; subinde excolendis novitiis praefectus supprior fit ac juniorum magister imo pater, comis affabilis, misericors ; ad officium pastoris utriusque Heembecae obeundum dein assumptus, parochiales has eccelsias per annos circiter octo ovium moderator meritissimus summa cum laude rexit. Apoplexia tactus, aetatis 62, professionis 40.

Anno 1729, die 26 mensis martii, debitum naturae solvit R. D. Judocus de Backer, Bruxellensis, canonicus et hujus domus subprior ac novitiorum director admirabilis, suavis et prudens, vice-pastor in utraque Heembeka dein factus, et tum anno 1711 parochiae jettensis curatus, oves suas tum sermone tum exemplo egregie et vigilanter admodum pavit ; vir eruditus, timore Domini ac morum simplicitate excellens ; aetatis 65, professionis 41.

Anno 1730, die 16 decembris, e vivis excessit R. D. Antonius Capuyns [fol. 61] Bruxellensis, canonicus, qui primum cantoris officio plurimis annis summa cum laude perfunctus, dein etiam ex subpriore provisoris et magistri sylvarum munia sibi demandata fideliter et admodum diligenter luctuosissimis item belli temporibus gessit ; aetatis 70, religiosae professionis 50, domus senior.

Anno 1731, die festo sancti Matthiae apostoli, vitam mortalem finivit R. D. Hubertus Cosijns, Bruxellensis, canonicus et infirmorum magister ; vir simplex et rectus corde, divinis in officiis assiduus, semper distentus, pacificus et subveniendis aegrotis vigilatissimus ; aetatis 70, professionis 47.

Praefato anno, die 1 mensis octobris, mortis falce prostratus vivere desiit R. D. Gabriel Pauwens, Bruxellensis, hujus cœnobii canonicus, qui in alma universitate Lovaniensi sacrae theologiae baccalaureatus formati gradu decoratus, curam parochialis ecclesiae Leeuwensis super Teneram suscepit, ubi annis triginta et uno oves sibi concreditas sacramentorum administratione et divini verbi assidua annuntiatione pavit ; exin domum reversus et cellarius constitutus, demum per annos binos ac medium circiter parochiae jettensis deservitor extitit sedulus ; aetatis 69, professionis 50, sacerdotalis unctionis 44.

Anno 1732, die 16 januarii, e vivis excessit R. D. Josephus de Jonge, ex Cruybeke in Wasia, canonicus, in theologia licentiatus et sacrae scripturae praelector, tum sedulitate vice pastoris in Wol-

verthem et Rossem munus agens, fideles verbo vitae et alimonia spirituali biennio pavit, aetatis 49, professionis 25.

Eodem anno, die 26 mensis junii, morte lumina clausit R. D. Balthazar Oppenbrouwer, Bruxellensis, hujus monasterii canonicus, qui cantoris officio summa cum laude annis pluribus functus est, totus pro rubricarum et cantus observantia zelosus et exactus ; in alma universitate Lovaniensi theologiae studiis incumbens, ad monasterium nobilium monialium Ordinis praemonstratensis ad Sanctum Gerlacum (5) mittitur vicarius, unde post biennium ad abbatiam reversus, et propriae saluti dein incumbens, ibidem diurturna phtysi consumptus est aetatis suae anno 50, professionis 32.

Anno 1733, die 6 martii, vitam cum morte commutavit R. D. Franciscus de Prooft, Bruxellensis, canonicus, qui diversis officiis, utpote cantoris, circatoris, ac pluribus annis cellarii laudabiliter perfunctus vicarius in Leeuwis super Teneram constituitur et dein vicepastor in Jette [f. 62] et exinde iterato vicarius in Leeuwis super Teneram, ubi, quae sui muneris erant sedulo explens, apoplexia tactus obiit aetatis 65, religiosae professionis 37, sacerdotii 35.

Anno 1734, die 25 maii, communem humani generis sortem subiit R. D. Matthaeus Mangelaer, Rosendaliensis (6), canonicus hujus domus, Lovanii anno 1701 in generali studii philosophici concursu quarto in prima linea loco promotus. Vix presbyter effectus et ad sacrae theologiae praelectoratum provectus, quatuordecim annorum tempore scientiam sacram confratrum suorum animis instillavit successu tam prospero, ut illius ex palaestra septem licentiae in praefati oppidi academia decorari meruerint laurea, qua ipse meritissimus, singulari animi demissione renuit insigniri. Prioratus dein admotus officio, illud annis sex ac totidem receptoris abbatiae Majoris Bigardiae (7), summa vigilantia ac fidelitate obivit ; mortuus ex variolis malignis, aetatis 53, professionis religiosae 29, sacerdotii 27.

Anno praefato, die 1 septembris, morte subitanea e vivis ereptus est R. D. Joannes de Vos, Bruxellensis, hujus cœnobii asceta, qui cantoris officio annis aliquot laudabiliter functus ; primo in Leeuwis super Teneram vicarius lustris duobus extitit sedulus, dein in Wolverthem et Rossem pari zelo pastori per septennium et medio subsidiariam navavit operam ; demum ejusdem loci pastorali muneri

---

(5) Prévôté norbertine de St.-Gerlach, à Hauthem, prov. de Limbourg hollandais.

(6) Roosendaal, ville dans la prov. du Brabant septentrional (Pays-Bas).

(7) Abbaye de bénédictines à Grand-Bigard, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Anderlecht.

admotus, oves suas annis sex sacramentorum administratione, verbi divini praedicatione pavit ; aetatis 55, professionis 35, sacerdotii 31.

Anno 1737, die 21 mensis maii, R. D. Joannes de Noville, natus Bruxellis anno 1661, relicto natali solo regulam norbertinam in hoc conventu professus anno 1681, et quadriennio post sacerdotio initiatus ; successive varia dein officia, nempe succentoris, subprioris, novitiorum magistri, in Leeuwis super Teneram vicarii, exin in utraque Heembeca vicepastoris, prioris nec non cellarii, pari fidelitate ac diligentia obivit, in omni dictorum munerum functione admodum exactus, ac exemplo non minus quam verbo spirituali suorum profectui summopere intentus. Post festiva jubila omni onere exemptus, ut saluti propriae incumberet, vigiliis, orationibus, meditationibus aliisque piis operibus intentus, tandem deficiente natura, professionis ac sacerdotii jubilarius, inter vivos existere desiit anno ac die praefatis, aetatis 76, professionis 56, jubili sacerdotalis 52.

[Fol. 63] Anno praefato, die 22 maii, ex pectoris oppressione mortali e vita decessit R. D. Augustinus Veldekens, ex Relegem (8), hujus aedis canonicus ; hic inter confratres jugiter pacificus, conversatione placidus, convictuque affabilis, succentoris nec non cantoris officiis primum functus, vicarius in Wolverthem ac dein in utraque Heembeca vicepastor constituitur, demum parochialis ecclesiae Leeuwensis super Teneram regimini admotus, tamquam bonus pastor commissas sibi oves annis octo indesinenter pavit verbo, aedificavit exemplo, aetatis 58, professionis 37, sacerdotii 33.

Anno 1739, januarii die 2, mortalis vitae cursum complevit R. D. Philippus Parduyns, Bruxellensis, canonicus, corde mitis et humilis, qui sacristae nec non magistri infirmorum officiis cum laude perfunctus, in Leeuwis super Teneram vicarius dein constitutus, ibidem impositis sibi muniis exequendis totus occupatus ; e vivis ereptus est aetatis suae anno 39, professionis 16, sacerdotii 14.

Eodem praefato anno, 13 mensis decembris, die patrono ejus festiva, morte subitanea obiit R. D. Judocus t'Sas, Bruxellensis, hujus abbatiae canonicus, qui ob animae dotes magnopere commendabilis ad varia officia, utpote sacristae et cantoris deputatus fuit ; hic laudabiliter obitis, studii causa Lovanium missus, ibidem sacrae theologiae licentiati gradu insignitus est. Ovium moderatori de Wolverthem in subsidium datus, sui amorem et desiderium auxit ; tum, ut praelectoris muneri admoveretur domum revocatus post septennium, utpote minime vulgari eruditione praeditus ac in sanc-

(8) Releghem, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Assche.

torum Patrum operibus admodum versatus, sanissimam doctrinam, inconcussis sanctorum Augustini et Thomae principiis consonam, confratribus praelegit, habita etiamnum, pridie sui obitus die, Bruxellis in ecclesia religiosorum Tertii Ordinis Sancti Francisci summo cum applausu, oratione latina in laudem Immaculatae Virginis Deiparae ; aetatis 45, professionsis 25, presbyteratus 21.

Anno 1741, die 1 aprilis, acuta febre correptus, fati sortem communem subiit R. D. Judocus de Haen, Bruxellensis, canonicus ; vir in conversatione ob morum integritatem cunctis amabilis, in studiis ob sedulitatem laudabilis, nec non in convictu ob regularis disciplinae observantiam commendabilis. Lovaniansi in academia peractis pro licentiae gradu adipiscendo disputationibus, indeque domum reversus, circatoris officium obivit, animarum curae dein admotus, in confessionibus excipiendis, infirmisque visitandis ad vitae finem usque extitit indefessus ; aetatis 34, professionis 11, sacerdotii 9.

[Fol. 64] Anno praefato, die 25 mensis maii, statutum humano generi debitum solvit Bruxellis, ubi natus, R. D. Marcus Vandenbrande, hujus monasterii canonicus ; qui ob praeclara animi dotes unicuique amabilis, ad varias obedientias, nempe cantoris, cellarii, sacrae theologiae lectoris, lustra provisoris ; tum ab anno 1731 pastoris triennalis in Jette, exin septennalis in Wolverthem deputatus est. Vir hic, ut cellarius, sollicitus existens, ut lector, doctrinam secundum sanctorum Augustini et Thomae principia praelegit ; Lovanii absolutis theologicis disputationibus licentiae laurea cum laude et applausu insignitus, ut provisor, memoriam sui perrenavit, ac demum ut ovium moderator, utriusque parochiae gregi desiderium sui dereliquit, aetatis 50, professionis 29, sacerdotii 26.

Anno 1742, die 25 maii, Bruxellis, quo in oppido genitus, homines lucemque reliquit R. D. Guilielmus Josephus Bourgau, qui ob morum candorem pacificamque conversationem confratribus acceptus et pastori wolverthemiensi in subsidium datus ; ibidem, vigente mortalitate, in exequendis muneris sui functionibus infatigabilis, maligna febri correptus, in aetatis flore iis immortuus est, aetatis 34, religiosae professionis 13, sacerdotalis unctionis 10.

Anno 1743, 23 die mensis martii, sanguinis inflammatione et catharro obrutus, animam exhalavit R. D. Bartholomaeus Simon, Bruxellensis, hujus cœnobii canonicus. Hic ipsa die primitiarum ad sacrae theologiae lectoratum ab amplissimo domino abbate Henrico Huysio nominatus, et ab hujus successore Lovanium missus ; inde ad confratres reversus, sanam, quam ibidem hauserat, doctrinam, iisdem praelibavit ; prioratus officio admotus, sacrae theologiae

laurea cum sex aliis concanonicis suis Lovanii dein insignitus est ; demum curae pastorali in Jette anno 1734 suffectus, oves moderationi suae commissas pavit ex animo ad obitum usque aetatis 50, professionis 31, sacerdotii 27.

XLVIII. HENRICUS VAN EESBEECK

Natus Bruxellis (1) animamque nactus bonam et a natura ad virtutem bene institutus ; humaniores tum in urbe natali, tum Gandavi ac Lovanio etiam cum fructu haud mediocri, raraque probitate emensus est ; Ordinem norbertinum dein professus 15 novembris 1716, ac biennio post sacro presbyteratus ordine insignitus, totum se virtutum [fol. 65] cultui addixit. Vultu serenus, comis affabilis, humilis, abstemius et divinis immersus, demandata ei primum cura infirmorum, mox cellarius constitutus est ; hisce licet curis distentus, disputationes pro licentiae gradu Lovanii absolvit, titulumque in theologia licentiati cum sex aliis asceterii sui confratribus adeptus est 21 maii 1731. Anno insequente, provisoris munus subire jussus, biennio monasterii bona sedulo curavit, donec nobilis Bigardiae Majoris abbatia eum receptorem (2) postulavit, quod munus sic ibidem obivit ut jam imminentis praelaturae digne adimplendo totam polliceretur fiduciam ; quare concordibus confratrum suorum votis annuens augustissima Romanorum imperatrix Maria-Theresia, eum abbatem (48s) nominavit anno 1744 ; installatus 18 aprilis, mitratus 17 maii (3). Dignitate hac ornatus, pius, misericors, in divinis officiis indefessus, in meditationibus assiduus, vultu et mente devotionem spiravit ; severitatem et indulgentiam medius, plus tribuit exemplo quam mandato. Constitutus dein ab eminentissimo cardinale archiepiscopo Mechliniensi Thoma-Philippo, cui perspecta erat et probata ejus integritas et incorruptibilis justitia, judex synodalis ; in spinosa admodum rerum crisi in deputatum statuum Brabantiae ordinarium etiam electus fuit, publica recte curaturus qui tam eximie privata curarat. Verum bimestri et ultra prae diro viscerum dolore lecto

---

(1) Il naquit le 19 mai 1693. *Chancel. Brab.*, reg. 41, p. 338 v°.

(2) Pendant son séjour à Grand-Bigard, Van Eesbeeck composa le nécrologe de cette abbaye bénédictine. Ce document est conservé aux A. G. R., fonds *Archives ecclésiastiques*, n° 7794.

(3) Il recueillit 30 premières voix et 2 secondes. Les commissaires gouvernementaux l'apprécient comme suit : " très capable pour la direction du temporel, on lui attribue généralement une piété exemplaire, une doctrine saine et solide, beaucoup d'amour pour la règle, pour la paix et pour l'union, enfin une charité véritablement chrétienne et fraternelle ". *Conseil Privé*, n° 853.

affixus, acutissimos pertulit sereno vultu dolores, donec tandem inopina mors eum a suis meliora sperantibus et multum lugentibus separavit, Bruxellis in conventus sui refugio, anno 1749, die 4 novembris, sancto Carolo Borromaeo episcopo et confessori sacro, aetatis 56, professionis 33, praelaturae 5.

Sub cujus regimine :

Anno 1744, die Nativitatis beatae Mariae Virginis, maligna febre correptus obiit R. D. Petrus Moreau, Bruxellensis, hujus domus canonicus ; vir patiens, aetatis 65, professionis 42, sacerdotii 38 (4).

Anno 1745, die 15 mensis quintilis, viam aeternitatis ingressus est R. D. Joannes Baptista Provoost, Antverpiensis, canonicus, qui ob morum suavitatem et animi candorem prior constitutus, eo munere per quatuor lustra sedulo perfuntus est, regulae et Ordinis statutorum exactissimus observator ; demum ab anno 1718 moderator ecclesiae parochialis de Meuseghem, ejusdem oves viginti et septem annorum [fol. 66] tempore sermone et exemplo vigilantissime pavit, et ibidem vivere desiit desiit aetatis 75, professionis 55, sacerdotii 52, jubilaei 5 (5).

Anno praefato, die 9 septembris, mortalem vitam complevit, in refugio Bruxellensi, R. D. Ignatius Huens, Bruxellensis, hujus cœnobii canonicus, qui plurimis annis magistri infirmorum officio magno cum zelo perfunctus est, idque tanta cum charitate ut vilissima etiam opera pro illorum recuperanda valetudine minime abhorret ; longa tabe extinctus, aetatis 64, professionis 43, sacerdotii 39 (6).

Anno 1747, die festo Purificationis beatae Mariae Virginis, e mundo sublatus est R. D. Norbertus de Backer, Mechliniensis, canonicus, qui ob morum probitatem circatoris officio adhibitus, eo plurimis annis laude non infima functus est. Regularis disciplinae amator ac custos, acutissimis in senio grangrenae doloribus tactus, singulari eos patientia tolleravit, aetatis 72, religiosae professionis 50, sacerdotii 47, jubilaei 2 (7).

Anno 1748, die 27 mensis septembris, diem obiit supremum, R. D. Clemens Cock, ex Oylaerde (8), hujus conventus canonicus, qui ex

---

(4) Il naquit le 12 février 1679, fit profession le 6 août 1702 et reçut la prêtrise le 18 septembre 1706. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 338 v°.

(5) Il naquit le 21 juillet 1670, fit profession le 17 février 1692 et reçut la prêtrise le 18 septembre 1695. *Ibidem*, f. 338.

(6) Il naquit le 3 janvier 1681, fit profession le 3 mars 1702 et reçut la prêtrise le 18 septembre 1706. *Ibidem*, f. 338 v°.

(7) Il naquit le 6 janvier 1676, fit profession le 24 mars 1697 et reçut la prêtrise le 10 avril 1700. *Ibidem*, f. 338.

(8) Hoeylaert, commune dans l'arr. de Bruxelles, c. d'Ixelles.

cellario vicarius constitutus in Wolverthem, dein ejusdem parochiae annis viginti et uno moderator, demum parochiali ecclesiae utriusque Heembecae praefectus fuit, ubi per octodecim annos vera pastorum norma, verbo et exemplo suas pascens ubique oves, muneris optimi animarum directoris vices explevit ; non ut judex solum, sed et ut medicus ac pater suavissimus. Interim magno cum parochianorum suorum dolore muneri suo cedens, et ad abbatiam reversus ut quietius propriae incumberet saluti, piis operibus vacans omnibus se amabilem exhibuit ; et tandem, contracta violenta febre, ex pulmonum inflammatione in pace quievit, aetatis suae anno 81, professionis 58, unctionis sacerdotalis 56, jubilaei 8, totius gremii senior (9).

XLIX. FRANCISCUS EMMANUEL VALVEKENS

Natus Bruxellis anno 1692, mundo valedicens, in abbatia nostra, exacto biennali probationis anno, solemnia emisit vota anno 1715, sacerdotio initiatus 1717 ; sacrisque addictus studiis, quae ipsi sola voluptas, Lovanium amandatur doctrina theologica profundius imbuendus, ubi eos pauco tempore progressus fecit, ut ad arduum simul et honorificum prioris vacantiarum officium ab eximiis sacrae facultatis magistris fuerit deputatus, quo mi[fol. 67]ra sagacitate et subtilitate perfunctus est, omnibus interea disputationibus pro adipiscenda licentiae laurea peractis, quam cum sex aliis e Diligemensi gremio sacrae eruditionis coryphaeis adeptus est anno 1731. Lovanio redux et mox sacrae theologiae praelector constitutus, purioris doctrinae latices, e sanctorum Augustini et Thomae fontibus, tamquam imbres mittens eloquia sapientiae suae, integris quatuordecim annis confratribus propinavit et suaviter ac nervose inculcavit ; anno 1728 simul factus subprior et novitiorum magister, tyrones sibi concreditos ita rexit, ut omnes illum susciperent, venerarentur et amarent ut patrem, et jam tum ad mitram se eum destinare plerique dictitarent. Anno dein 1735, e subpriore sui conventus prior, dum argumenta scholastica quotidie pandit ut lector, juniores in disciplinae schola solerter exercet ut instructor. Defuncto anno 1743 R. D. Bartholomaeo Simon, pastore in Jette, eidem sine mora suffectus, rectoris ovium officium sedulo adimplevit, ac in illorum salutem talentum sibi a Deo concreditum omni vigilantia impendit, dumque ita integro septennio infatigabiliter bonus pastor

(9) Il naquit le 2 avril 1668, fit profession le 13 avril 1690 et reçut la prêtrise le 20 décembre 1692. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 338.

insudat, Diligemium inopinate orbatum patre Henrico Eesbekio, ejus loco ad dignitatem abbatialem nominatus, 4 februarii 1750, inauguratur 21 aprilis, et 10 maii subsequente in ecclesia propria infulis condecoratur (1). Corde pater, beneficus erat et facilis, minime tamen divinae legis, regulae et statutorum transgressiones dissimulans. Œconomus ad stuporem (2), claustrum novum, ingentis ac solidae molis aedificium, a praedecessore vix auspicatum, perfecit, et non tantum totam abbatiam innovavit, sed et quidquid in ecclesia, conventu, abbatia ,refugio, villis ac plerisque pastoribus domi et foris reperiebatur, quod non construxerit, instauraverit vel ornaverit ipse, factis insuper non exiguis proventuum incrementis. Prudentia consiliorum grandium ac maturitate cana praeditus, quam in arduis patriae negotiis experti erant Brabantiae ordines, eum in deputatum ordinarium elegerunt, anno 1755 ; quam ille provinciam per sexennium omnimoda dexteritate, ac summo cum zelo pro patriae bono et prosperitate administravit. Annis gravis et hydropisi demum correptus, Bruxellis in conventu sui refugio placide expiravit anno 1771, die 2 martii, aetatis suae anno 80, professionis 56, sacerdotalis unctionis 54, praelaturae 21, jubilarius (3) ac totius gremii senior.

Eo regente :

Anno 1750, die 17 februarii, diutina tabe moritur R. D. Augustinus Van den Broeck, religiosus modestus, moribus suavis, conversatione pacificus [fol. 68], comis semper et affabilis ; habitu non magis quam corde candidus, ac submissi erga superiores suos respectus, exemplum perpetuum, morte praematura nobis ereptus, aetatis 24, professionis 2.

Anno 1752, die 28 aprilis, vitae suae curriculum complevit R. D. Antonius de Mol, Bruxellensis, qui cum magistri infirmorum subiret

---

(1) Lors de l'élection, il recueillit 7 premières voix, 2 secondes et 1 troisième. *Chancel. Brab.*, reg. 42, f. 48 v°.

(2) Nous épinglons l'appréciation sur Valvekens donnée par les délégués du gouvernement lors de l'élection de son successeur : " En effet, l'abbé défunt, homme d'ailleurs fort rangé et qui en versant dans la caisse commune les revenus attachés à la députation de l'Ordre ecclésiastique des Etats de Brabant, qu'il a remplie pendant six ans, a fait bien infini à ce monastère ; il paraît y avoir gouverné le temporel entièrement à sa guise, au point même que, pendant les dernières années de sa vie, il s'est passé d'un proviseur et s'est réservé à lui seul la direction de toute l'économie. Il devait naturellement résulter de là une confusion dans les comptes ". *Chancel. Brab.*, reg. 43, f. 202.

(3) Un chanoine composa une adresse à l'occasion du jubilé de Valvekens, le texte de cette pièce de vers est conservé aux A. G. R., *Archives ecclésiastiques*, n° 6964.

officium, vero affectu fraterno confratribus opem tulit ; exin cellarii officio admotus, eo munere per quinquennium laudabiliter functo, provisoris onus annis tredecim sustinuit, sic curans tempore ut minime omitteret spiritualia ; verum ob diurturnam infirmitatem hoc munere dimisso, longa tabe correptus ac paulatim ab eadem consumptus et depastus obiit aetatis 61, religiosae professionis 40, presbyteratus 37, totius gremii senior (4).

Eodem anno, die 30 ejusdem mensis, praefati abs nulli parcente parca mortali e vita raptus est R. D. Joannes Deens (in Ordine Jacobus), ex Cruybeke Wasianus (5), hujus monasterii canonicus ; vir eruditus, rhetor perquam illustris ac poeta latinus et gallicus minime vulgaris, qui annis aliquot functo magistri infirmorum munere, cum praestantis et acuti ingenii sui non pauca praebuisset argumenta ; regendis relegendisque cœnobii archivis praefectus fuit ; hoc munere gnaviter perfuncto, ad capellaniam in Leeuwis super Teneram missus, et dein majoribus aptus, post praedecessoris sui obitum ejusdem parochiae deservitura ei commissa fuit ; atque paulo post impositum sibi pastorale munus ibidem suscepit, quo administratione sacramentorum ac infirmorum visitatione, etc., se admodum reddidit commendabilem. Tandem pleuritide correptus nec non pectoris oppressione vexatus, intra dies paucos fatis concessit, aetatis 60, professionis 40, sacerdotii 35. Vir moribus vitae conspicuus et olim ad moderandum monasterium a confratribus expetitus et primo loco, e trino, electus (6). Vitam beati Andreae, abbatis Averbodiensis (Frederico Panhusio, ejusdem loci praesuli dedicatam) notis admodum eruditis illustravit ; vitamque beati Arnickii, ejusdem asceterii canonici conscripsit ; autographum exstat in bibliotheca Diligemensi, in 8° (7).

Anno 1756, die 3 mensis julii, fati diem supremum obiit R. D. Philippus Van den Elsken, Bruxellensis (8), hujus asceterii religiosus, qui cantoris officio per annos aliquot laudabiliter functus,

---

(4) Il naquit le 18 novembre 1691 fit profession le 16 octobre 1712 et reçut la prêtrise le 21 décembre 1715.*Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 338 v°.

(5) Il naquit le 24 février 1693, fit profession le 16 octobre 1712 et reçut la prêtrise le 22 mai 1717. *Ibidem.*

(6) Lors de l'élection de 1744, il recueillit 23 secondes voix et 6 troisièmes ; il fut classé second dans la présentation par les commissaires au choix du souverain. *Conseil Privé*, n° 853.

(7) Pour les ouvrages littéraires de Deens, cf. L. Goovaerts, *op. cit.*, t. I, p. 171 et t. III, p. 38.

(8) Van denElsken naquit le 4 avril 1680, il fit profession le 3 mars 1702 et reçut la prêtrise le 19 septembre 1705. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 338 v°.

dein subprioratus muneri admovetur et simul ei novitiorum cura imponitur ; factus dein moderator parochiae wolverthemianae, in cathechisandis rudibus ac conscientiae arca[fol. 69]nis excipiendis extitit indefessus ; tandem a sanctimonialibus abbatiae Majoris Bigardiae in confessarium ordinarium assumptus, ibidem eo in munere annis circiter viginti et septem permansit, donec diuturna obrutus infirmitate, post varias morborum difficultates in spiritu patientiae tolleratas eodem in monasterio vitam mortalem cum aeterna commutavit, aetatis suae 77, professionis religiosae 55, unctionis sacerdotalis 51, jubilaei 5 (9).

Anno 1758, paenultima die martii, mortis telo confossus obiit R. D. Guilielmus Van Koeckebeeck, bruxellensis, hujus aedis asceta, qui ob exactam religionis observantiam, bonamque indolem a superioribus aptus judicatus varias subiit functiones, nempe primum circatoris, dein octennio subprioris, tum triennio vicepastoris, demum in utraque Heembeca respective pastoris ac deservitoris, in quibus omnibus comem sese ac amabilem reddidit ; maligna febre correptus, aetatis 60, professionis religiosae 37, presbyteratus 34 (10).

Eodem anno, in festo sancti patris Gregorii Nazianceni episcopi et confessoris, lumen vitale deseruit R. D. Philippus du Pont, ninoviensis, quem religiosa morum comitas atque pacifica conversatio omnibus reddidit charum ; maturus ad regendas animas, mittitur in Heembecis, vacante ibi pastoratu, in earum adjutorium, quo munere laudabiliter functus est aegris diu noctuque assistendo. Vir ob candidae mentis integritatem, scientiam ac prudentiam plurimum commendabilis. Catharro oppressus, aetatis 33, professionis 12, sacerdotii 9.

Anno praefato, pridie festi sancti Lucae evangelistae, in refugio nostro bruxellensi denatus est R. D. Dominicus Alexander de Hertog, Bruxellensis, hujus domus canonicus ; qui ob singulare dexteritatis specimen, quod in minoribus obedientiis praebuit, ad majora destinatus, primum cellarii annis aliquot, tum provisoris per annos viginti et quatuor, munia gessit ; qua epocha ipso providente, quamvis multiplicibus curis occupato, templi etiam abbatialis altitudo fundata fuit. Superioribus mandantibus dein in vinea Domini operarius collocatus, in Leeuwis super Teneram primo, dein Heembecis, demum in Meuseghem haud ignavis pastoris functus est officiis,

(9) Lors de l'élection de 1744, il recueillit 7 secondes voix et 20 troisièmes. *Conseil Privé*, n° 853.

(10) Il naquit le 8 mai 1698, fit profession le 9 février 1722 et reçut la prêtrise le 11 mars 1724. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 339.

quibus in locis dum vicariam subit curam, talentum sibi a Deo concreditum gregi dominico impendit ex animo, infirmis pro solatio, egenis pro subsidio, omnibus pro concilio ; tandem senescens rectoris titulo in refugio nostro bruxellensi receptus, post tria alia lustra placide in Domino [fol. 70] quievit, aetatis suae anno 88, professionis 65, sacerdotii 63, jubilarius (11).

Anno 1764, in vigilia Ascensionis Domini (30 maii), mundum reliquit R. D. Dominicus Georgius Canis, bruxellensis, canonicus, qui in monasterio officiis impositis laudabiliter functus, ac singulari zelo divinos laudes semper aemulatus, vitam religiosam non paucis decoravit virtutibus, ac humilitate, mansuetudine confratres inter etiam eluxit ; quare, in oculis suis parvus, ob placidam pacificamque conversationem cunctis extitit amabilis ; obedientia quoque enituit, qua Deo et superioribus ad nutum subditus, liberrimam gratissimamque exhibuit servitutem ; exinde vicarius in Leeuwis super Teneram constitutus, ibidem postquam se totum obeundis muniis quadrennio occuparat, vivere desiit, aetatis 39, professionis 18, sacerdotii 16.

Eodem anno, die 18 junii, vitales auras reliquit R. D. Josephus Joachimus Kips, bruxellensis, canonicus ; vir sagacis ac peracuti ingenii, pacificus, amabilis nec non confratrum suorum amator, qui e cellario sacrae scripturae ac theologiae praelector constitutus, exin Lovanio sacrae theologiae baccalaureatus titulo insigniri meruit, et annis dein decem et quator fructuose vicepastor parochiae wolverthemiensis curam gessit, ubi summa erga pauperes exarsit charitate, quod, haud solum victui necessaria, sed et linteamina propria, etc. eidem elargiendo demonstravit. A confratribus ad regendum monasterium primo loco olim electus (12) ; febre maligna correptus, aetatis 46, professionis 25, sacerdotii 22.

Anno 1765, die 12 mensis junii, mortem oppetiit R. D. Alexander Sigaut, bruxellensis, hujus cœnobii canonicus ; vir ingenio praestans, memoriae tenax, nec non divini verbi praeco facundus, qui varia munia, ut cantoris, sacristae, vicarii in Wolverthem, vicepastoris in Meusegem, subprioris, prioris ac novitiorum magistri obire

---

(11) Il naquit le 8 janvier 1671, fit profession le 8 août 1694 et reçut la prêtrise le 16 juin 1696. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 338.

(12) Il naquit le 26 août 1718, fit profession le 17 mai 1739 et reçut la prêtrise le 22 septembre 1742. *Chancel. Brab.* reg. 41, f. 339 v°. — Il fut également archiviste de l'abbaye. Lors de l'élection de 1749, il recueillit 16 premières voix et 3 troisièmes. Les commissaires reconnaissent ses nombreux titres et son esprit pondéré ; ils font remarquer qu'il réunit les suffrages des jeunes chanoines et que lui-même d'ailleurs n'a que 31 ans. *Ibid.*, reg. 42, f. 48 v°.

jussus, iis omnibus zelose admodum et magna cum laude functus est ; demum, anno 1751, pastor jettensis electus, parochiam hanc iisdem zelo ac laude ad obitum usque rexit ; aetatis 51, professionis religiosae 31, sacerdotii 27 ([13]).

Anno praefato, in festo sancti Matthaei apostoli et evangelistae, in mundo esse desiit R. D. Bartholomaeus Greverardt, bruxellensis, canonicus hujus asceterii ; vir pius, simplex et rectus, ac adversus sibi infensos mansuetus et placari facilis ; qui cantoris officio per annos quatuor functus, pluribus dein annis granii directioni fideliter et sollicite praefuit ; interim [fol. 71] sospes ad quietem more consueto sese recipens, postridie matituno tempore in strato suo exanimis repertus est, aetatis 52, religiosae professionis 31, sacerdotii 28 ([14]).

Anno 1768, die apparitionis sancti Michaelis archangeli, aeternitatis viam inivit R. D. Norbertus Van Zeebroeck, bruxellensis, hujus conventus canonicus, qui sacrae theologiae baccalaurei titulum in alma Lovaniensi academia adeptus, ibidem etiam vacantiarum prioris honorabili munere functus est. Ob eruditionem, probitatem ac merita ad alia aptus, primum theologiae praelector, dein in Wolverthem vicepastor, et exinde ad votum et instantiam abbatissae cœnobii Majoris Bigardiae receptor postulatus, octennio elapso, ad parochiam de Leeuwis super Teneram moderandam amandatur, quam annis decem et sex cum laude usque ad mortem rexit ; aetatis 59, professionis 37, sacerdotii 35 ([15]).

Eodem anno, die 27 septembris, in Ordinis nostri abbatia postulana ([16]), in Campinia, morte subitanea e vivis excessit R. D. Alexius Borremans, bruxellensis, hujus aedis canonicus et pluribus annis chori succentor ; aetatis 48, professionis 25, sacerdotii 23 ([17]).

Anno 1771, die 6 mensis februarii, mortis duram legem subiit R. D. Petrus (in religione Hermannus) Servaes, bruxellensis, canonicus ; vir bonae indolis et pacificus, qui primum quadrennio capel-

---

(13) Il naquit en février 1714, fit profession le 20 juillet 1734 et reçut la prêtrise le 1 mars 1738. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 338. — Lors de l'élection de 1749, il recueillit 3 premières voix, 6 secondes, une troisième. *Ibid.*, reg. 42, f. 49.

(14) Il naquit le 11 février 1713, fit profession le 20 juillet 1734 et reçut la prêtrise le 16 mars 1737. *Ibid.*, reg. 41, f. 339 v°.

(15) Il naquit le 18 mai 1709, fit profession le 11 juillet 1731 et reçut la prêtrise le 19 décembre 1733. *Ibid.*, f. 339.

(16) Postel, abbaye de prémontrés, à Arendonck, commune dans l'arr. de Turnhout, chef-lieu de c.

(17) Il naquit le 9 mars 1720, fit profession le 8 septembre 1743 et reçut le sous-diaconat le 21 septembre 1743. *Ibidem*, f. 340.

lanus in Leeuwis super Teneram, tum prior et juniorum director constitutus, quos curae suae concreditos habuit, ad norbertinae perfectionis normam deduxit. Anno 1745, factus pastor in Meusegem, et triennio post in Wolverthem, utriusque loci parochianos tum misericordia, tum charitate eximia nec non instructione assidua pavit ; aetatis 72, professionis religiosae 53, sacerdotii 51, jubilarius [18].

L. JOANNES-BAPTISTA VANDENDAELE

Natus in Heembeka, prope Bruxellas, anno 1701 [1], die commemorationis omnium fidelium defunctorum, parentibus honestis. Humanioribus litteris Bruxellis imbutus ac philosophiae cursu Lovanii absoluto, sub candido sancti Patris Norberti vexillo militaturus, monasterii nostri diligemensis societate impetrata, ac emenso biennali probationis tempore, in eo solemnia emisit vota die 16 octobris 1732 ; sacro dein presbyteratus ordine insignitus 25 februarii 1736, Lovanium theologia imbuendus [fol. 72] transmissus est, ubi in alma universitate pro baccalaureatu graviter disputavit. Redux inde mox cellarius constituitur, quod officium œconomica sollicitudine annis pluribus gessit ; cumque ad altiora aptus esset, pastoralibus curis primo in Wolverthem, dein in Meusegem, Christi oves sibi concreditas verbo pavit et exemplo, iisque aestimatissimus, pauperibus vero compatiens ac benignus, in catechizandis rudibus et assistendis infirmis assiduus ac infatigabilis exstitit. Dum itaque pro grege sibi commisso insudat, Diligemio inopinate patre suo Ferdinando Valvekens, abbate dignissimo, orbato, communibus confratrum suffragiis prae caeteris dignior visus est Joannes Baptista ut huic in eadem dignitate succederet [2]. Itaque, nominante augustissima Romanorum imperatrice Maria Theresia, die 21 aprilis 1771, toto applaudente gremio, monasterii clavo admotus, et 13 maii installatus, die 26 ejusdem mensis solemniter pontificalibus insignitus est. Porro praelaturae viam ingressus, eximiam quam de se concitaverat expectationem non sustinuit modo, sed superavit : regulae

(18) Il naquit le 31 janvier 1699, fit profession le 11 décembre 1720 et reçut la prêtrise le 7 mars 1723. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 338. — Lors de l'élection de 1749, il recueillit 4 premières voix, 14 secondes et 10 troisièmes. *Ibid.*, reg. 42, f. 48 v°.

(1) Cette date est fautive. Vandendaele est né le 19 janvier 1712. *Ibidem*, reg. 41, f. 339.

(2) Il recueillit 9 premières voix, 9 secondes et 5 troisièmes. *Ibidem*, reg. 43, f. 200 v°.

eximius ac statutorum observator tenacissimus, pietate in Deum ac beatam Virginem nulli secundus, frugalis et sobrius, monasterio etiam manum admovit, forulos ex serinio magnificos, libris bibliothecae peramplae recondensis, 7000 florenorum pretio, construi, et aedificium vastum pro hospitibus, nec non ecclesiam parochialem jettensem aedificari curavit, et insuper fundamenta domus abbatialis posuit. Interim corpore adhuc integerrimo, dum liberiori mente Deo vacaturus religiosae vitae sedulo incumbit, hydropisi pectorali correptus, Bruxellis, in cœnobii sui refugio, diem vitae clausit novissimum anno 1789, 18 mensis septembris ; aetatis 77, professionis 57, sacerdotalis unctionis 53, dignitatis abbatialis 18, jubilarius ac totius gremii senior. Conditus in cœmiterio parochiae jettensis, sepultura in ecclesiis Josephi, hujus nominis II, imperatoris edicto prohibita.

Caeterum sub illius moderamine :

Anno 1772, die 23 mensis aprilis, hoc in conventu mortalitatis sarcinam deposuit R. D. Franciscus de Roover, bruxellensis, canonicus, Lovanii olim in generali artium concertatione in prima linea promotus ; vir acris ingenii, multifariae lectionis, eruditus, politiori litteratura praeditus et venerandae gravitatis, sacrae theologiae licentiatus, e septem eodem titulo simul insignitis, unus qui et vacantiarum prioris officium in academia Lovaniensi etiam obivit. Hinc per sexennium theologiae praelector, in Wolverthem vicepastor [fol. 73] dein constituitur, ac exinde ejusdem parochiae moderator, unde post septennium ad abbatiam revertens iterato sacrae theologiae lectoris munus obire jussus est ; aetatis 72, professionis 51, sacerdotii 47, jubilarius (3).

Anno 1774, die dedicationis basilicae Salvatoris (9a novembris), ab inexorabili nullique parcente parca mortali e vita raptus est R. D. Cornelius Nauwens, turnolthanus (4), hujus monasterii canonicus ; vir praestans, in gerendis rebus prudens, in religione probatus, in sacrae scripturae scientia et intellectu nec non theologiae studio percelebris, qui hisce in scientiis confratres annis pluribus erudivit, easque cum fructu explanavit. Studiis indesinenter, orationi ac labori addictus, constituitur conventus prior, exin capellanus in Leeuwis super Teneram, unde post biennium redux, iterato quinque lustris sacras scripturam ac theologiam suis praelegit, disputationibus publicis praesens ipse, ac virorum eruditorum conquisitor atque amator. Tandem anni 1771, parochiae meusegemiensi praefectus,

(3) Il naquit le 2 novembre 1701, fit profession le 7 juin 1723 et reçut la prêtrise le 22 décembre 1725. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 339.

(4) Turnhout, chef-lieu d'arr. et de c.

dum oves curae suae concreditas vigilanter admodum ac sollicite pascit, ibidem hydropicus vivere desiit, aetatis 59, professionis 37, sacerdotii 35. Relictis variis ingenii sui monumentis, nempe : 1. Antilogiae, aliaeque difficultates scripturisticae amplificatae, 5 tomis, in 8°. — 2. Aphorismi amplificati in 1^am^ 2^ae^ sancti Thomae, 3 vol., in 8°. — 3. Epitomen Alphonsi-Anton. de Sarasa, de arte semper gaudendi. — 4. Notamina particularia, lectu digna, in 8°. — 5. Quaestiones scholasticae, 3 tomis, in 8°. — 6. Aphorismi practici de sacramento matrimonii, 1 vol., in 8°, etc., quae omnia in bibliotheca conventus sui mss. extant (5).

Anno 1775, die 5 mensis aprilis, communem humani generis sortem subiit in monasterio Minoris Bigardiae (6) R. D. Philibertus Van Bever, natus in Heembeca superiori die 20 octobris 1707, qui Diligemii anni 1733 professus, et anno sequenti presbyteratus ordine insignitus ; mox constituitur sacrista et dein circator. Anno vero 1743, vicariam subeuns curam in Leeuwis ad Teneram, aegris ibidem indefessus adstitit ; inde, anno elapso, factus subprior simul et novitiorum magister, tyrones summa charitatis teneritudine complexus est, iisque saeculi fastidium ac caelestium amorem instillavit. Demum in sanctimonialium Minoris Bigardiae confessarium simul et receptorem, anno 1745, assumptus, huic oneri per annos triginta in earumdem et monasterii non exiguo commodo insudavit, quippe œconomus et dispensandi dexteritate pollens, non obstante reddituum exiguitate, novum a fundamentis templum erexit, altaribis, ornamentisque decoravit, nec non hospitium peramplum, propriis magna pro parte sumptibus aedificavit, etc. ; ut merito ejusdem ascete[fol. 74]rii restauratoris nomine indigitari possit ; aetatis 68, religiosae professionis 42, sacerdotii 41 (7).

Anno praefato, die 21 julii, mortalis vitae cursum complevit R. D. Aegidius Vanderwauwen, hujus cœnobii religiosus, honestis parentibus Bruxellis ortus 4 junii 1715 ; hic in adolescentia liberalibus disciplinis eruditus, et anno 1738, die 23 februarii, professus, ac

---

(5) Il naquit le 13 décembre 1715, fit profession le 23 février 1738 et reçut la prêtrise le 12 mars 1740. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 339 v°. — Lors de l'élection de 1771, il recueillit 2 premières voix, 2 secondes et une troisième. *Conseil Privé*, n° 853.

(6) Petit-Bigard, prieuré de Bénédictines, à Leeuw-St.-Pierre, dans l'arr. de Bruxelles, c. de Hal.

(7) Il naquit le 20 octobre 1707, fit profession le 10 mai 1733 et reçut la prêtrise le 18 décembre 1734. *Chancel. Brab.*, reg. 41, f. 339. — Lors de l'élection abbatiale de 1749, il recueillit 7 premières voix, 2 secondes et une troisième (*Chancel. Brab.*, reg. 42, f.49) ; en 1771, il rallia 2 premiers suffrages, 3 seconds et 3 troisièmes. *Conseil Privé*, n° 853.

biennio post votorum emissionem sacro presbyteratus ordine insignitus ; a superioribus primum subprior, dein post septennium, vicepastor in Wolverthem simul et praepositus in Rossem constitutus fuit ; duobus ibidem exactis lustris, demum ad parochiam jettensem vicepastoris munere functurus ablegatur ; attamen cąduci corporis caducitate temporis lapsu fractus, domum redux caducitati succubuit, aetatis 60, professionis 37, sacerdotii 35.

Anno 1782, die sancti Brunoni confessori ac Carthusianorum fundatori festivo, mundum deseruit R. D. Christophorus Josephus Cortijn, canonicus, natus Bruxellis anno 1722, mensis junii die 27ª ; nuncupatis anno 1744, 13 februarii in conventu nostro solemnibus votis ac anno 1746 sacerdotio inunctus ; ei caeremoniarum ac magistri infirmorum dein officium imponitur, quod munus diu noctuque visitando, adjuvando ac consolando fratres indefesse sedule adimplevit ; interim post plurium annorum capitis dolores apoplexia tactus, pauco dierum spatio fatis concessit, aetatis suae anno 61, professionis 38, sacerdotii 36 ; vir pacificus, amore dignus et conversatione placidus.

